


Latin imperial laws and letters
(A.D. 306-565)
not included in the
Codes and Novels
of
Theodosius and Iustinianus

compiled by

Ingo G. Maier



Internet Publishing
Melbourne, Australia

Published	1 September 2010
Revised	27 September 2010
Revised	7 October 2010
Revised	31 March 2011
Revised	10 April 2011
Revised	28 July 2011
Revised	20 May 2012

Internet Publishing
Melbourne, Australia

ISBN 978-0-646-54436-6

© Ingo G. Maier

This publication may be freely copied electronically, or printed,
but may **not** be sold nor offered for sale.

Latin texts

Clauss Slaby

Clauss, M., *Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby*
http://oracle-vm.ku-eichstaett.de:8888/epigr/epigraphik_de

Daur 2005

Daur, K.D., *Sancti Aurelii Augustini epistulae. (Corpus Christianorum - Series Latina 31a)* (Turnholt, Brepols, 2005)

Feder 1916

Feder, A., *S. Hilarii episcopi Pictaviensis opera. Collectanea Antiariana Parisina; Tractatus mysteriorum (Fragmenta historica); Libri ad Constantium I-II; Hymni; Fragmenta minora; Spuria. (Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum v.65).* (Wien, Tempsky, 1916).

Goldbacher 1911

Goldbacher, A., *S. Aureli Augustini Hipponiensis episcopi epistulae. (Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum v.57).* (Wien, Tempsky, 1911).

Gundlach 1892

Gundlach, W., *Epistolae Arelatensis genuinae (Monumenta Germaniae Historica, Epistolae T.3 = Epistolae Merovingici et Karolini aevi T.1.)* (Berlin, Weidmann, 1892)

Günther 1895

Günther, O., *Epistulae imperatorum pontificum aliorum inde ab anno 367 usque ad anno 553 datae, Avellana quae dicitur Collectio. (Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum v. 35).* (Wien, Tempsky, 1895).

Hänel 1857

Hänel, G., *Corpus legum ab imperatoribus romanis ante Iustinianum latorum, quae extra constitutionum codices supersunt accedunt res ab imperatoribus gestae quibus romani iuris historia et imperii status illustratur.* (Leipzig, Hinrichs, 1857).

Holstenius 1662

Holstenius, L., *Collectio Romana bipartita veterum aliquot Historiae ecclesiasticae monumentorum.* (Roma, Dragondellus, 1662)

Krueger 1890

Krueger, P., *Consultatio veteris cuiusdam iurisconsulti; Codices Gregorianus et Hermogenianus; alia minora. (Collectio librorum iuris anteiustiniani in usum scholarum, vol.3)* (Berlin, Weidmann, 1890).

Krueger 1908

Krueger 1954, P., *Corpus Iuris Civilis, vol.1: Institutiones.* (Berlin, Weidmann, 1908).

Krueger 1954

Krueger 1954, P., *Corpus Iuris Civilis, vol.2: Codex Iustinianus.* (Berlin, Weidmann, 1954).

- Mansi 1758f,
Mansi, G.D., *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*. (31 vols. Firenze et Venezia, 1758f)
- Migne 1844f
Migne, J.P., *Patrologiae cursus completus, series latina*. (Paris, 1844f).
- Mommsen 1890
Mommsen, T., *Fragmenta vaticana; Mosaicarum et Romanarum legum collatio. (Collectio librorum iuris anteiustiniani in usum scholarum, vol.3)*. (Berlin, Weidmann, 1890).
- Mommsen 1904
Mommsen, T., *Theodosiani libri XVI cum Constitutionibus Sirmondianis. Vol.1 pars posterior: textus cum apparatu*. (Berlin, Weidmann, 1904).
- Mommsen-Krueger 1908
Mommsen, T., Krueger, P., *Corpus Iuris Civilis, vol.1: Digesta*. (Berlin, Weidmann, 1908).
- Petschenig 1909
Petschenig, M., *Sancti Aureli Augustini scripta contra Donatistas, Pars II: Contra litteras Petiliani libri tres; Epistula as catholicos de secta Donatistarum; Contra Cresconium libri quattuor. (Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum v.52)*. (Wien, Tempsky, 1909).
- Ziwsa 1893
Ziwsa, C., *S. Optati Milevitani libri VII. (Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum v.26)*. (Wien, Tempsky, 1893).

English Translations

Blume

Blume, F.H. (Justice), *Annotated Justinian Code and Novels*. (1943, shelved in the George William Hopper Law Library, University of Wyoming). Transcribed by Timothy G. Kearley and published (2nd ed. 2010) on the internet at:
<http://uwacadweb.uwyo.edu/blume&justinian/>

Coleman-Norton

Coleman-Norton, P.R., *Roman state and Christian church. A collection of legal documents to A.D. 535*. (3 vols), (London, S.P.C.K., 1966).

Cunningham

Cunningham, J.C., *The letters of St. Augustin*: in Schaff, P. (ed.), *A select library of the Nicene and post-Nicene fathers of the Christian Church, Series 1*, vol.1. (Grand Rapids, Eerdmans, 1886) pp.209-619

Johnson

Johnson, A.C., Coleman-Norton, P.R. & Bourne, F.C., *Ancient Roman statutes. (The corpus of Roman law: a translation with commentary of all the source material of Roman law. Vol.2)* (Austin, University of Texas Press, 1961).

Lee

Lee, A.D., *Pagans and Christians in late antiquity: a sourcebook*. (London, Routledge, 2000).

Moyle

Moyle, J.B., *The Institutes of Justinian, translated into English*. (5th.edn) (Oxford, Clarendon, 1913).

Murray

Murray, A.C., *From Roman to Merovingian Gaul: a reader*. (Ontario, Broadview, 2000).

Pharr

Pharr, C., *The Theodosian code and novels and the Sirmundian constitutions. A translation with commentary, glossary, and bibliography. In collaboration with T.S. Davidson and M.B. Pharr, with an introduction by C. Dickerman Williams*. (Princeton U.P., 1952).

Price & Gaddis

Price, R. & Gaddis, M., *The Acts of the Council of Chalcedon*. (Translated texts for historians 45) 3 vols. (Liverpool, University Press, 2007).

Price

Price, R., *The Acts of the Council of Constantinople, with related texts on the Three Chapters controversy*. (Translated texts for historians 51) 2 vols. (Liverpool, University Press, 2009).

Scott

Scott, S. P., *The Civil Law, including the Twelve Tables, the Institutes of Gaius, the Rules of Ulpian, the Opinions of Paulus, the Enactments of Justinian, and the Constitutions of Leo*. (17 vols.) (Cincinnati, The Central Trust Company, 1932).

Scanned copy on the internet at:

<http://www.constitution.org/sps/sps.htm>

Watson

Watson, A., *The Digest of Justinian [with Latin text edd. T. Mommsen and P. Krüger]* 4 vols (Philadelphia, PA: University of Pennsylvania Press, 1985).

Watson, A., *The Digest of Justinian*. 2 vols (Philadelphia, PA: University of Pennsylvania Press, 1998).

INTRODUCTION

The purpose of this compilation is to make these laws and letters conveniently available in one publication and, particularly, in an electronic form that can be searched and indexed by computers, including search engines on the internet.

Comments and suggested changes are invited and can be sent to me at the email address listed on the home-page at **<https://notiadignitatum.org>**

The date of the latest revision is listed on p.2.

I.G.M.

311 Constantinus (1) - Licinius

Johnson no.301

Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: AE 1937, 00006 = AE 1937, +00103 = AE 1937, +00158 = AE 1937, 00232 = AE 1938, +00069 = AE 1947, +00044 = AE 1949, +00256 = AE 1951, 00027 = AE 1951, 00118 = AE 1953, 00240 = AE 1954, +00039 = AE 1955, 00114 = AE 1956, 00258 = AE 1980, 00707 = AE 1995, 00032 <Bronze tablet>.

X Imp(erator) Caes(ar) Fla(vius) Val(erius) Constantinus P(ius) F(elix) In(victus) Aug(ustus)
p(ontifex) m(aximus) tri(bunicia) p(otestate) VII imp(erator) VI co(n)s(ul) p(ater) p(atriae)
p(ro)co(n)s{s}(ul) et / Imp(erator) Caes(ar) Val(erius) [[Lici(nianus) Licinius]] P(ius) F(elix)
In(victus) Aug(ustus) p(ontifex) m(aximus) tri(bunicia) p(otestate) IIII imp(erator) III co(n)s(ul)
p(ater) p(atriae) p(ro)co(n)s{s}(ul) //

// Exempl(um) sacra(rum) litterarum /

/ have Dalmati carissime nobis /

/ cum in omnibus pro devotione ac laboribus suis militum nostrorum commodis / adque utilitatibus semper consultum esse cupiamus in hoc etiam dispo/sitionum nostrarum provisione eiusdem(!) militibus nostris consulendum / esse credidimus Dalmati carissime unde intuentes labores eorundem mili/tum nostrum(!) quos pro rei pub(licae) statu et commodis adsiduis discursibus sustinent / providendum ac disponendum esse credidimus ut et militiae suae tempore iucundis laborum / suorum fructibus ex nostra provisione se perfrui gaudeant et pos(t) militiam quiaeto(!) otio et congrua securitate / S potiantur itaque devotioni tuae significandum esse credidimus ut idem milites nostri militiae quidem / suae tempore quinquem(!) capita iuxta statutum nostrum ex censu adque a pr(a)estationibus sollemnibus / annonariae pensitationis excusent eademque immunia habeant adque cum completis stipendiis legitimis / honestam missionem idem fuerint consecuti sed hii qu(i) licet posd(!) viginti stipendia ad(a)eque honestam missionem / F adepti fuerint ab annonario titulo duo kapita excusent id est tam suum quam etiam uxoris suae si quis forte ex preli / vulnere causarius fuerit effectus etiam si intra viginti stipendia ex ea causa rerum suarum vacationem / fuerit consecutus ad beneficium eiusdem indulgentiae nostrae pert(i)niat(!) ita ut suum et uxoris / suae kaput excuset adque ut omni modo tam quietis suae securitati quam etiam commodis con/sultum provisionis nostrae beneficio idem milites gratulentur licet eiusmodi antehac con/{con}suetudo fuerit ut plurimi homines simul honestam missionem a duce perciperent penes / actarium missoria permanente exempla sibi singuli quique exciperent tamen volu/mus ut cum vel honestam vel ca(u)sariam sicuti supra dictum est missionem milites consecun/tur singuli quique specialem a duce in personam suam accipiant missionem quo probatione / veritatis ac fidei aput permanente securitate stabili at firmissima perfruantur pervidet / sane dicatio tua eos qui dilicti sui gratia dimittuntur ad beneficium legis eiusdem pertinere / non posse cum utriusque rei ratione haberi oporteat ac vitae probabilis instituta adquae(!) / honestam missionem sed et merit[a m]ilitiae pr(a)emia a nobis condigna percipere conveat(!) ut et / eiusdem indulgentiae nostrae beneficio perpetuo idem milites perpetuo perfruantur / ac sempiterna dispositionis nostrae provisio obtineat firmitatem volumus teno/rem huius indulgentiae nostrae describunt(!) per singula qu(a)eque castra aput signa in ta/bula aerea consecrari quo tam legionarii milites quam etiam equites in vexillationi/bus constituti Inlyriciani(!) sicuti simil<e=I>s labor<e=I>s militiae suae sustinent ita / etiam provisionis nostrae similibus commodis perfruantur et manu divina / vale Dalmati carissime nobis /

/ divo Maximiano VIII [[et d(omino) n(ostro) Maximino]] / [[Aug(usto) iterum]] cons(ulib)us / IIII Idus Iunias Serdica <10.Jun.311>

312 Constantinus (1) - Licinius

Mommsen 1890, p.25 (Fragmenta Vaticana, 32).

[...] aditus competens iudex considerato tutelae iudicio eam curabit ferre sententiam, quam agnitam legibus esse providerit.

Proposita IIII kal. Sept. Constantino et Licinio Augg. II cons. <29.Aug.312>

312 ? Constantinus (1)

Migne 1844f, v.19 cols.393-394 (Porphyrius Optatianus).

Epistola Constantini ad Porphyrium <?Publilius Optatianus Porfyrius>.

Invictus Constantinus Augustus maximus.

Si tantum pondus et gravitas spectarentur in carmine, et Graeca post Chium Maeoniumve vatem, et Latina post rusticum Mantuanum eloquentia silvisset, nec frustra culpabiles forent, qui sibi materias pro ingeniorum qualitate sumentes, inani opere sudassent, cum penes primos facundiae conditores gloria tota resideret, frater charissime. Sed quoniam semper in propatulo usus istius fuit, nec ulli negatum est, id ex ea indicere, quod possit illos etiam quos posterius aevum tulit delectare, non penitus a fructu favoris excludit, qui relictis gravioribus sonis, modos ad leviora flexere: Illigavit alter cothurnis et prope quotidianis ac moralibus verbis affectus hominum, comoediis locutus est quidam, inaequali pede elegia cantata est, multorum digitos semiloquacibus chordis amor lyrae iucundus inservit pro aequalitate modulaminis. At non circa singulos quosque expetite laudis gratia redundavit. Defuit quorundam ingeniis imperatorum favor, qui non secus doctrinae deditas mentes irrigare atque alere consuevit, quasi clivosi tramitis supercilio rivus elicitus, scaturientibus venis arva arentia temperavit. Saeculo meo scribentes dicentesque non aliter benignus auditus, quam lenis aura prosequitur. Denique etiam studiis meritum a me testimonium non negatur. Liber assidue cursus oratoribus fuit; eos vero qui versibus dicerent, certis finibus lex metris statuta continuit: quare non immerito illud usus invenit, ut hoc genere dicturis, Heliconis aut Parnassi iuga peterentur, cum mortalis ingenii deficiente substantia, necessaria viderentur auxilia divina. Gratum mihi est studiorum tuorum facilitatem in illud exisse, ut in pangendis versibus dum antiqua servaret, etiam nova lyra sibi conderet. Vix hoc custoditum pluribus fuit, qui modis quibusdam arctis innexi litterarum, distinctionibus versuum (qui ita medium corpus propositi occulte intermeant, ut oculorum sensus interstincta colorum pigmenta delectent) hoc tenere propositum, ut haesitantiam carmini multiplex legis observantia non repararet. Gratum igitur hoc mihi dicationis tuae munus fuit: Exercitatio mentis et naturae facilitas comprobata est. Tu cum tibi videas operis tui gratiam, quam ex meis petiveras auribus non perisse, et proventu praesentis temporis exsultare debebis, et non indebitam laudem ingenii exercitatione captare.

313 Constantinus (1)

Cunningham pp.369-370

Goldbacher 1911, pp.408 (Augustinus, Epistola 88,2); Daur 2005 pp.139-140; Hänel 1857, no.1066 pp.189; Migne 1844f, v.8, cols.479-482.

Aggg. Nnn. Anulinus v.c. proconsul Africae.

Scripta caelestia maiestatis vestrae accepta atque adorata Caeciliano et his, qui sub eodem agunt quique clerici appellantur, devotio mea apud acta parvitatibus meae insinuare curavit, eosdemque hortata est, ut unitate consensu omnium facta, cum omni omnino munere indulgentiae maiestatis vestrae liberati esse videantur, catholicae custodita, sanctitate legis debita reverentia ac divinis rebus inserviant. Verum post paucos dies extiterunt quidam adunata secum populi multitudine, qui Caeciliano contradicendum putarent quique fasciculum in aluta signatum et libellum sine signo obtulerunt dicationi meae atque impendio postularunt, ut ad sacrum et venerabilem comitatum numinis vestri dirigerem, quae manente Caeciliano in statu suo subiectis eorundem actis, quo cuncta maiestas vestra possit dignoscere, parvitas mea dirigere curavit. Transmissi libelli duo, unus in aluta superscriptus ita: 'Libellus ecclesiae catholicae criminum Caeciliani traditus a parte Maiorini item alius sine sigillo cohaerens eidem alutae.

Datus die XVII. Kalendas Maias Carthagine domino nostro Constantino Augusto III. <15.Apr.313>

313 Constantinus (1)

Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.438-439; Migne 1844f, v.8 cols.477-480.

Constantinus Augustus Melchiadi episcopo Romano hierarchae.

Quoniam huiusmodi litterae complures ab Anulino clarissimo Africae proconsule ad me missae sunt, in quibus constat Caecilianum episcopum Carthaginensium a quibusdam collegis suis in Africa ordinatis episcopis multis de rebus in crimen vocari; et illud mihi permolestum videtur, ut in his provinciis, quas divina providentia ultro ac sua sponte sub meum subiunxerit imperium, et in illis locis, in quibus crebra hominum frequentia versatur, non modo multitudo ad deteriora deflectat et distrahatur dissidiis, sed episcopi etiam discordiam inter se ipsi exerceant, visum est mihi, ut idem Caecilianus cum decem episcopis, qui illum reum facere videantur, et decem aliis, quos ipse suae litis diiudicationi necessarios existimaverit, Romam navigio traiciat, ut ibi coram vobis, et Rheticio etiam, et Materno, et Marino collegis vestris, quos ea de causa Romam maturare iusserim, possit audiri, sicut sanctissima dei lex, ut nostis, postulat.

Atque ut de omnibus hisce plenissimam accuratissimamque notitiam possitis habere, exemplaria litterarum ad me ab Anulino missarum, litteris meis subscripta, adversus praedictos collegas misi; quas cum vestra gravitas perlegerit, exquisite ponderabit, quomodo, quave ratione lis illa, quam supra diximus, diligentissime rectissimeque dirimatur, et ex iuris praescripto tandem aliquando absolvatur: quandoquidem illud vestrum studium minime latet, me tantam reverentiam sanctae et catholicae ecclesiae tribuere, ut velim vos nullum generare schisma, nullam discordiam ullo in loco omnino relinquere.

Summa dei maiestas vos, honoratissimi viri, multos annos conservet.

Coleman-Norton no.17

Mansi 1758f, v.2 (305-346) col.440; Migne 1844f, v.8 cols.479-480.

Constantinus Augustus Miltiadi episcopo urbis Romae et Marco.

Quoniam huiusmodi plures libelli a viro clarissimo Anulino Africae proconsule ad me sunt missi, in quibus continetur Caecilianum Carthaginensium urbis episcopum a quibusdam collegis suis per Africam constitutis multis de causis insimulri; quod quidem permolestum mihi videtur, in istis provinciis quas divina providentia meae devotioni spontanea deditio tradidit, et in quibus maxima est populi multitudo, plebem quasi in duas partes divisam ad deteriora deflectere, et episcopos inter se dissentire, placuit mihi ut idem Caecilianus una cum decem episcopis qui accusare ipsum videntur, et cum decem aliis quos ipse ad suam causam necessarios esse iudicaverit, Romam naviget; ut ibi coram vobis et coram Reticio, Materno ac Marino collegis vestris, quos ea causa Romam properare iussi, possit audiri, quemadmodum sanctissimae legi convenire optime nostis.

Porro ut totius negotii plenissimam valeatis haurire notitiam, exempla libellorum ab Anulino ad me missorum, litteris subiecta ad collegas vestros supradictos transmisi. Quibus lectis perpendet gravitas vestra, quonam modo supra memorata controversia accuratissime diiudicanda sit, et ex praescripto iustitiae terminanda. Siquidem nec tuam sedulitatem latet, tantam a me reverentiam sanctissimae ecclesiae catholicae exhiberi, ut generaliter nullum schisma aut dissidium ullibi a vobis relinqui velim.

Divinitas summi dei multis vos annos servet, carissime.

313-314 Constantinus (1)

Coleman-Norton no.18

Mansi 1758f, v.2 (305-346) col.466; Migne 1844f, v.8 col.485-486.

Constantinus Augustus Chresto, episcopo Syracusano.

Iam quidem et antea, cum quidam improbo ac perverso studio de sancti coelestisque numinis cultu et fide catholica dissidere coepissent, ad resecandas illorum huiusmodi contentiones ita constitueram, ut missis aliquot e Gallia episcopis, tum advenire iussis ab Africa iis, qui diversarum partium erant, atque obnixius inter se, pertinaciusque contendebant, praesente insuper Romano episcopo, posset id omne, quod commotum videbatur, praesentibus ipsis accurata disceptatione componi.

Sed quia nonnulli, ut fere fit, suae ipsorum salutis, et reverentiae, quae sanctissimae fidei debetur, obliti, privatas adhuc simultates exercere non cessant, dum prolato iam iudicio acquiescere nolunt, causanturque a paucis videlicet dictas sententias fuisse, atque hos ipsos non omnibus quae inquiri ante oportebat, diligenter examinatis, ad depromendum iudicium praepropere festinanterque processisse. Quo fit, ut et ipsi, quos fraternum et concordem animorum consensum retinere par erat, turpi aut nefaria potius dissensione discrepent, et aversis a sanctissima religione hominibus ludibrii occasionem praebeant. Propterea mihi sedulo providendum fuit, ut haec quae post iudicium prolato se dari voluntario assensu debuerant, vel nunc tandem multis praesentibus exitum sortiantur.

Quoniam ergo plurimos ex diversis compluribus locis episcopos in Arelatensium oppido ad Kalendas Augusti convenire praecepimus, tibi etiam per litteras significandum duximus, ut accepto a clarissimo viro Latroniano correctore Siciliae publico vehiculo, cum duobus aliis secundae sedis, quos ipse deligendos iudicaveris, tribusque una famulis, qui vobis in via ministrent, adscitis, designatum in locum ad diem praedictam te conferas: ut per gravitatem tuam, et caeterorum qui conventuri sunt, unanimem conspirantemque prudentiam, dissidium hoc, quod male hactenus per foedas quasdam contentiones perseverat, omnibus auditis, quae ab iis qui inter se nunc dissident, quosque pariter adesse iussimus, in medium proferentur, ad debitam religionem et fidem, fraternamque concordiam, vel sero tandem revocari queat.

Incolumem te deus omnipotens multis annis custodiat.

Another version in Mansi 1758f, v.2 (305-346) col.468; Migne 1844f, v.8 cols.485-488.

Constantinus Augustus Chresto Syracusanorum episcopo.

Iam quidem antea cum nonnulli pravo ac perverso animo a sancta religione coelestique virtute et ab Ecclesiae catholicae sententia dissidere coepissent, huiusmodi eorum contentionem praecidere cupiens ita constitueram, ut missis e Gallia quibusdam episcopis; accitis etiam ex Africa iis qui duas in partes divisi, pertinaciter inter se atque obstinate contendunt; praesente quoque Romanae urbis episcopo, id quod commotum fuisse videbatur, sub horum praesentia posset diligentissima examinatione componi.

Sed quoniam nonnulli, ut fere sit, et propriae salutis et venerationis quae sanctissimae fidei debetur obliti, privatas adhuc simultates prorogare non cessant: prolatae iam sententiae acquiescere nolentes, asserentesque paucos admodum episcopos sententiam tulisse, qui nec omnibus quae prius inquiri oportebat diligenter excussis, ad depromendum iudicium properanter accessissent. Unde fit ut et ipsi quos concordia ac fraterno inter se animo esse decuerat, turpi seu potius detestanda secessione dissideant; et iis hominibus qui a sanctissima religione alieno sunt animo, subsannandi occasio praebeat. Idcirco mihi sedulo providendum fuit, ut haec quae post depromptum iudicium voluntaria assensione iam finita esse debuerant, nunc tandem multorum interventu finem possint accipere.

Quoniam igitur plurimos ex diversis ac prope infinitis locis episcopos in urbem Arelatensem intra Kalendas Augusti iussimus convenire: tibi quoque scribendum esse censuimus, ut accepto publico vehiculo a viro clarissimo Latroniano correctore Siciliae, adiunctis tibi duobus secundi ordinis quos tu eligendos putaveris, tribus item servulis qui in itinere vobis ministrare possint, intra eundem diem ad praedictum locum occurras; quod tum per tuam Gravitatem, tum per caeterorum in unum coeuntium unanimem concordemque solertiam controversia haec quae per foedissimam altercationem ad hoc usque temporis perduravit, auditis omnibus eorum qui nunc inter se dissident, quos etiam adesse iussimus, allegationibus, ad congruam religionis et fidei observantiam fraternamque concordiam tandem aliquando possit revocari.

Incolumem te deus omnipotens diutissime servet.

313-314 Constantinus (1)

Coleman-Norton no.19

Ziwsa 1893, pp.204-206. (Optatus Milevitanus, Appendix III); Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.463-466; Migne 1844f, v.8 cols.483-486, also v.43, cols.784-786.

Constantinus Augustus Aelafio.

Iam quidem antehac, cum perlatum fuisset ad scientiam meam apud Africam nostram plures vesano furore vanis criminationibus contra se invicem super observantiam sanctissimae legis catholicae discedere coepisse, dirimendae dissensionis huiusmodi causa placuerat mihi, ut ad urbem Romam tam Caecilianus Carthaginensis episcopus, contra quem vel maxime universi saepe me convenerunt, quam etiam aliqui ex his, qui ei quaedam obicienda crediderant, praesentiam sui exhiberent. nam etiam ad supra dictam urbem Romam nostram quosdam episcopos ex Galliis ire praeceperam, ut tam hi pro integritate vitae suae, atque laudabili instituto sed et septem eiusdem communionis quam etiam urbis Romae episcopus atque illi qui cum hisdem cognoscerent, possent rei, quae videtur esse commota, fidem debitam adhibere, qui quidem ea, quaecumque in praesentia eorum fuerunt gesta, cuncta ad scientiam meam etiam actis habitis retulerunt verbo insuper adfirmantes, quod iudicium suum pro rerum fuisset aequitate depromptum, eosque potius causae obnoxios esse dicentes, qui contra Caecilianum quaedam putaverunt commovere adeo, ut istud post iudicium habitum Africam ipsos remeasse perhiberent. Inde propter haec omnia probabili rerum aestimatione speraveram, quod omnibus omnino seditionibus et contentionibus, quae aliis hominibus videbantur subito commotae, finis debitus fuisset impositus. sed cum dictationis tuae scripta legissem, quae ad Nicasium et ceteros super hisdem simulationibus gravitas tua mittenda crediderat, evidenter agnovi, quod neque respectus salutis suae neque, quod est maius, dei omnipotentis venerationem ante oculos suos velint ponere. siquidem ea agere persistent, quae non modo ad ipsorum dedecus infamiamque pertineant sed etiam his hominibus detrahendi dent facultatem, qui longe ab huiusmodi sanctissima observantia sensus suos noscuntur avertere. nam id quoque te scire convenit, quod ex hisdem venerunt adserentes, quod minus dignus idem Caecilianus cultu sanctissimae religionis habeatur, et contra id, quod hisdem responderam, frustra eos id iactare, quippe cum res fuisset apud urbem Romam ab idoneis ac probatissimis viris episcopis terminata, obnixae ac pertinaciter respondendum aestimaverunt, quod enim omnis causa non fuisset audita; sed potius idem episcopi quodam loco se clausissent et, prout ipsis aptum fuerat, iudicassent.

Quare cum haec tot et tanta nimium obnixae dissensiones protrahere perviderem, ita ut nullo modo finis isdem dare posse videatur, nisi et Caecilianus idem et ex his, qui contra eum dissident, tres aliqui in iudicium eorum, qui cum Caeciliano sentiunt consensumque debent, ad Arelatense oppidum venirent, iniungendum solertiae tuae duxi, ut mox has litteras meas acciperes, cum Caecilianum supra dictum, cum aliquibus ex his, quos ipse delegerit - sed et de Byzacena, Tripolitana, Numidiarum, et Mauritaniarum provinciis singulis, quique aliquantos ex suis perducere debebunt, quos ipsi putaverint eligendos - sed etiam aliquos ex his, qui contra eundem Caecilianum dissentiunt, data evocatione publica per Africam et Mauritaniam inde ad Hispanias brevi tractu facias navigare et inde nihilominus his in singulis episcopis singulas tractorias tribuas, ut ipsi ad supra dictum locum intra diem Kalendarum Augustarum possint pervenire, celeriter intimaturus hisdem, ut, antequam proficiscantur, debeant disponere, quatenus absentibus ipsis et disciplina competens habeatur, et nulla forte seditio, vel aliquorum altercantium contentio, quae ad maximum dedecus spectet, oriatur.

De secreto plena cognitione suscepta finis adhibeatur; quia cum praesentiam sui exhibuerint universi quae nunc in contentione esse noscuntur quaeque non inmerito finem debent accipere maturum, ut protinus possint terminari atque conponi. nam cum apud me certum sit te quoque dei summi esse cultorem, confiteor gravitati tuae, quod nequaquam fas esse ducam, ut eiusmodi contentiones et altercationes dissimulentur a nobis, ex quibus forsitan commoveri possit summa divinitas non solum contra humanum genus sed etiam in me ipsum, cuius curae nutu suo caelesti terrena omnia moderanda commisit, et secus aliquid hactenus incitata decernet. tunc enim revera et plenissime potero esse securus et semper de promptissima benivolentia potentissimi dei prosperrima et optima quaeque sperare, cum universos sensero debito cultu catholicae religionis sanctissimum deum concordia observantia fraternitate venerari. amen.

314 Constantinus (1)

Coleman-Norton no.20

Ziwsa 1893, pp.208-210. (Optatus Milevitanus, Appendix V); Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.477-478; Migne 1844f, v.8 cols.487-490, also v.43 cols.788-789.

Constantinus Augustus episcopis catholicis carissimis fratribus salutem.

Aeterna et religiosa incomprehensibilis pietas dei nostri nequaquam permittit humanam condicionem diutius in tenebris oberrare neque patitur exosas quorundam voluntates usque in tantum pervalere, ut non suis praeclarissimis luminibus denuo pandens iter salutare eas det ad regulam iustitiae converti. habeo quippe cognitum multis exemplis, haec eadem ex me ipso metior. fuerunt enim in me primitus, quae iustitia carere videbantur, nec ulla putabam videre supernam potentiam, quae intra secreta pectoris mei gererem. equidem haec, ut dixi, quam fortunam debuerunt sortiri? scilicet omnibus malis redundantem. sed deus omnipotens in caeli specula residens tribuit, quod non merebar: certe iam neque dici neque enumerari possunt ea, quae caelesti sua in me famulum suum benivolentia concessit.

sanctissimi antistites Christi salvatoris, fratres carissimi! gaudeo igitur equidem, specialiter gaudeo, quod tandem habita iustissima diiudicatione eos ad meliorem spem fortunamque revocastis, quos malignitas diaboli videbatur a praeclarissima luce legis catholicae miserabili sua persuasione avertisse. o vere victrix providentia Christi salvatoris, ut etiam his consuleret, qui iam desciscentes a veritate quodammodo adversus ipsam arma inducentes gentibus se copulaverunt; quia, si vel nunc mera fide voluerint obsequia sanctissimae legi deferre, intellegere poterunt, quantum sibi nutu dei sit provisum. et hoc quidem, sanctissimi fratres, sperabam etiam in eis, quibus ingenita est maxima durities animi, posse reprehendi. sed non profuit apud eos recta diiudicatio neque in eorum sensus ingressa est divinitas propitia; revera enim non inmerito ab his procul abscesserit Christi clementia, in quibus manifesta luce claret huiusmodi esse, ut eos etiam a caelesti provisione exosos cernamus, quae in ipsos tanta vesania perseverat, cum incredibili arrogantia persuadent sibi, quae nec dici nec audiri fas est, desciscentes a recto iudicio dato, quo caelesti provisione meum iudicium eos conperi postulare! quae vis malignitatis in eorundem pectoribus perseverat. quotiens a me iam ipso improbissimis aditionibus suis sunt condigna responsione oppressi! qui utique si hoc ante oculos habere voluissent, minime hoc ipsum interposuissent. meum iudicium postulant, qui ipse iudicium Christi expecto. dico enim, ut se veritas habet, sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse dominus residens iudicet. nihil enim licet his aliud sentire vel aliud indicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. quid igitur sentiunt maligni homines officia, ut vere dixi, diaboli? perquirunt saecularia relinquentes caelestia. o rabida furoris audacia! sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt. equidem gentes minora interdum iudicia refugientes, ubi iustitia cito deprehendi potest, magis ad maiora iudicia auctoritate interposita, ad appellationem se conferre sunt solitae. quid hi detractatores legis, qui renuentes caeleste iudicium meum putaverunt. postulandum? sic sentire de Christo salvatore? ecce iam proditores, ecce sine ulla acriori disquisitione ipsi per semet prodiderunt facinora sua. quae ab ipsis sentitur humanitas, qui in ipso deo inmanes prosilierunt?

equidem, fratres carissimi, licet haec in ipsis videantur deprehensa, nihilominus vos, qui domini salvatoris sequimini viam, patientiam adhibete data his adhuc optione, quid putent deligendum. ac si eos in hisdem videritis perseverare, protinus cum his, quos dominus dignos cultui suo iudicavit, proficiscimini et redite ad proprias sedes meique mementote, ut mei salvator noster semper misereatur.

ceterum direxi meos homines, qui eosdem infandos deceptores religionis protinus ad comitatum meum perducant, ut ibi degant, ibi sibi mortem peius pervideant. dedi quoque litteras competentes ad eum, qui vicariam praefecturam per Africam tuetur, ut, quotquot huius insaniae similes invenerit, statim eos ad comitatum meum dirigat, ne ulterius sub tanta claritate dei nostri ea ab ipsis fiant, quae maximam iracundiam caelestis providentiae possint incitare.

incolumes vos deus omnipotens tribuat votis meis et vestris per saecula, fratres carissimi.

314 Constantinus (1)

<part of same law as CIL 5.2781 below>

Johnson no.302*Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: CIL 03, 12043 = InscCret-01, Lyttos 00188 = AE 1889, 00157 = AE 1995, 01629**Excerpt in Cod.Iust.9.8.3 addressed: Imp..Constantinus A. ad Maximum p.u. and dated: Pp. kal. Ian. Volusiano et Anniano cons. <1.Jan.314>.*

[E]xemplum sacri ediciti

[Reb]us ips[is nob]is probatum est plurimos non contentos fortunis s[uis 3] et dudum [3]s accusationem in [3] CONNVMPI[3 a]dque ex eiusmodi causis tam eos qui accus[an]tur quam qui [ad tes]timonium voc[an]tur gravissimis vexatio[ni]bus adfici un[de] consulentes securitati provinciarum nostrarum eiusmodi remedi(a) prospeximus ut accusator quidem non omnimodo de iudicio repellatur verum quicumque intentionibus suis probationes ad[der]e confidit habeat adeundi iudicis liberam potestate[m (!) m]anifestis i(n)diciis commissi reum detegat ut pro (q)ua[litate] factorum competuerit ea quae intentaverit conprobare scire debet severiori s(e) sententiae subiugandum sane si quis alic[ui] maiestatis crimen intenderit cum eiusmodi obiectus minime [que]mquam privilegio dignitatis alicuius a strictiori inquis[itio]ne tueatur sciat se quoque tormentis esse subdendum si aliis manifestis indiciis atque argumentis accusationem [su]am non potuerit conprobare [Si quis alicui maiestatis crimen intenderit, cum in huiusmodi re convictus minime quisquam privilegio dignitatis alicuius a strictiore inquisitione defendatur, sciat se quoque tormentis esse subdendum, si aliis manifestis indiciis accusationem suam non potuerit conprobare. 9.8.3] cum in eo qui huius esse temeritatis depr(eh)endetur illud quoque tormentis er(u)i oporteat c]uius consilio atque instinctu ad accusationem (accessi)sse v[ide]atur ut ab omnibus tanti commissi conscis vindicta possit r[epo]rtari delatoribus autem quot adeundi quoque iudici[s] tam statuis parentum nostrorum quam etiam nostris sanc[tio]nibus interclusa si(t) facultas omnibus cognitum est cum eiusmodi (h)om(i)nibus audientia{m} (!) debeat commodari quand[o]quidem eos pro tanti sceleris audacia poenae conveni[at] subiugari in servis quoque sive libertis qui dominos vel [p]atronos accusare aut deferre temptant eiusmodi legem iuxta (a)ntiqui quoque iuris statutum observandum esse censuimus ut [s]cilicet professio tam atrocis audaciae statim in admissi ipsius exordio per sententiam iudicis comprimatur ac den[e]gata audientia patibulo adfixus qui ad (e)ijsmodi desperationem processerit exemplum ceteris praestet ne quis in p{p}osterum aud[ac]iae similis existat sane ut undique vers(u)m securitati inn(o)centium consulatur placet etiam famosos libellos non admitti q[u]os sine nomine proposit(o)s si qui invenerit statim det[rah]ere atque scindere vel igni debebit exurere in quibus [eti]am iudicum eiusmodi observantiam esse oportebit ut si forte ad se talis libell(u)s perlat(u)s fuerit igni eum precipiat concremar[i] cum eiusmodi scr[ipturam] ab audientia iudicis penitus o[p]orteat [submo]veri mane(n)te contra eos inquisitione qui libell[os eiusmodi] proponere ausi fuerint ut reperti debitis t[emerit]atis suae poenis subiciantur [s]uper i(s)tis i[taque] o[mnibus] tam ad praefectos nostros quam eti[am] et p[raesides] et rationalem et magistrum privat[ae] scripta direximus quorum exempl(ar)i alio [e]dicto no[stro] subdit(o) cuiusmodi lege[m] s[ta]tutumqu(e) cont[ineat] pl[enissime] declaratur

314 Constantinus (1)

<part of same law as CIL 3.12043 above>

Johnson no.302*Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: CIL 05, 2781 = AE 1889, 00157; Hänel 1857, no.1067 pp.190-191.**Edictum Constantini de accusationibus. Imp. Constantinus a. ad Maximum praefectum urbis.**Excerpt in Cod.Theod.9.5.1 (1.Jan.314 (319-323)).*

<ab eiusmodi iudicio repellatur verum quicumque intentionibus suis probationes <attulerit,> habeat adeundi iudicis liberam potestatem, ac manifestis indiciis crimen <comprobet> et edat ut pro qualitate factorum competenter in eum qui convictus fuerit <vindice>tur. Quod si minime potuerit ea quae intentaverit conprobare, scire debet severis<simae sen>tentiae subiugandum. Sane si quis alicui maiestatis crimen intenderit, <cum in eiu>smodi obiectis minime quemquam privilegium dignitatis alicuius a strictiori <inquisiti>one tueatur, sciat se quoque tormentis esse subdendum si aliis manifestis indiciis, <testibus, a>ut argumentis accusationem suam non

potuerit conprobare; cum in eo qui <huius ess>e temeritatis deprehendetur illud quoque tormentis erui oporteat cuius <consilio a>tque instinctu ad accusationem accessisse videatur, ut ab omnibus tanti <comissi> consciis vindicta possit reportari [*pr. Si quis alicui maiestatis crimen intenderit, cum in huiusmodi re convictus minime quisquam privilegio dignitatis alicuius a strictiore inquisitione defendatur, sciat se quoque tormentis esse subdendum, si aliis manifestis indiciis accusationem suam non potuerit comprobare. Cum eo, qui huius esse temeritatis deprehenditur, illum quoque tormentis subdi oportet, cuius consilio atque instinctu ad accusationem accessisse videbitur, ut ab omnibus conmissi consciis statuta vindicta possit reportari. 9.5.1*] <Coniunctis> autem quod adeundi quoque iudicis tam statutis parentum nostrorum quam <etiam no>stris sanctionibus interclusa sit facultas, omnibus cognitum est, cum eiusmodi <delationi> audientia non debeat commodari; quandoquidem eos pro tanti sceleris audacia <gladio con>veniat subiugari. <In servis quoq>ue sive libertis, qui dominos vel patronos accusare aut deferre temptant eius<modi legem,> iuxta antiqui quoque iuris statutum, observandam esse censuimus, ut scilicet <professio ta>m atrocis audaciae statim in admissi ipsius exordio per sententiam iudicis <comprimatu>r, ac denegata audientia patibulo adfixus qui ad eiusmodi desperationem <processeri>t exemplum ceteris praestet ne quis in posterum audaciae similis existat. <Ut autem> undique versum securitati innocentium consulatur placet etiam famosos <libellos no>n admitti; quos sine nomine propositos si qui invenerit, statim detrahere ad<que discerper>e, vel igni debet exurere. In quibus etiam iudicem eiusmodi observantiam <sequi opus> sit, ut si forte ad se talis libellus perlatus fuerit, is eum praecipiat per ignem concre<vari, cum> eiusmodi scripturam ad audientia iudicis penitus oporteat submoveri; manen<te tamen in e>os inquisitione, qui libellos eiusmodi proponere ausi fuerint, ut reperti debi<tis temeri>tatis suae poenis subiiciantur. <De istis> itaque omnibus tam ad praefectos nostros, quam etiam et praesides et rati<onales et ad> magistrum privatae scripta direximus, quorum exempla alio edicto nostro <quid ad hui>smodi legem statutumque continet, plenissime declarantur. <Fidem in i>stis conscientia vestra, quae testis est, praebet, eam summam clementiae <nostrae ads>pectibus et fuisse semper et esse curarum, ut beatitudo urbis Romanae <auspiciis> nostris obtemperet adversus omnes omnino calumnias, quas in universum <exitiabili>s Caesarianorum desperatio porrigebat, firmissimis munita securitatibus.

315 Constantinus (1) - Licinius

Cunningham p.370 / Coleman-Norton no.21

Goldbacher 1911, pp.410-411 (Augustinus, Epistola 88,4); Daur 2005 pp.141-142; Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.495-496; Migne 1844f, v.8 cols.489-490, also v.43, cols.784-786.

Another copy, Petschenig, 1909 pp.485-487 (Augustinus, Contra Cresconium libri quattuor. Lib.3.70.81 begins: Imperatores Caesares Flavii Constantinus et Maximinus et Valerius Licinianus Licinius ad Probianum proconsulem africae).

Imperatores Caesares Flavii Constantinus Maximus, et Valerius Licinianus Licinius ad Probianum proconsulem africae.

Aelianus praedecessor tuus merito, dum vir perfectissimus Verus, vicarius praefectorum tunc per Africam nostram incommoda valitudine teneretur, eiusdem partibus functus inter cetera etiam id negotium vel invidiam, quae de Caeciliano episcopo ecclesiae catholicae videtur esse commota, ad examen suum atque iussionem credidit esse revocandam. etenim cum iam Superium centurionem et Caecilianum magistratum Aptungitanorum et Saturninum excuratorem et Calibium iuniorem, eiusdem civitatis curatorem, atque Solum servum publicum supra scriptae civitatis praesentes esse fecisset, audientiam praebuit competentem, adeo ut, cum Caeciliano fuisset obiectum quod a Felice eidem episcopatus videretur esse delatus, cui divinarum scripturarum proditio atque exustio videretur obiecta, innocentem de eo Felicem fuisse constiterit. denique cum Maximus Ingentium decurionem Ziquentium civitatis epistolam Caeciliani exduumviri falsasse contenderet, eundem ipsum Ingentium suspensum actis, quae suberant, pervidimus et ideo minime tortum, quod se decurionem Ziquensium civitatis adseveraverit.

unde volumus, ut eundem ipsum Ingentium sub idonea prosecutione ad comitatum meum Constantini Augusti mittas, ut illis qui in praesentiarum agunt atque diurnis diebus interpellare

non desinunt, audientibus et coram adsistentibus apparere et intimari possit, frustra eos Caeciliano episcopo invidiam comparare atque adversus eum violenter insurgere voluisse. ita enim fiet ut omissis, sicuti oportet, eius modi contentionibus populus sine dissensione aliqua religioni propriae cum debita veneratione deserviat.

315 Constantinus (1)

Coleman-Norton no.22

Ziwsa 1893, pp.210-211. (Optatus Milevitanus, Appendix VI); Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.441-442; Migne 1844f, v.8 cols.489-490, also v.43 col.789.

Constantinus Augustus episcopis.

Ante paucos quidem dies iuxta postulatam vestram hoc mihi placuerat, ut ad Africam reverteremini, ut illic omnis causa, quae vobis adversus Caecilianum competere videtur, ab amicis meis, quos elegissem, cognosceretur atque finem debitum reciperet.

verum diu mihi cogitanti et in animo meo non inmerito volenti id potissimum visum est, ut - quoniam scio quosdam ex vestris turbulentos satis et obstinato animo rectum iudicium et integritatis rationem minime respicere ac per hoc venire forsitan, ut, si ibidem cognoscatur, non ut concedat et veritatis ratio exoptulat, res finem accipiat atque aliquid tale eveniat nimia vestra obstinatione, quod et divinitati caelesti displiceat et existimationi meae, quam semper inlibatam cupio perseverare, plurimum impediatur - placuit mihi, sicut dixi, ut Caecilianus iuxta prius tractatum huc potius veniat, quem credo iuxta litteras meas mox adfuturam.

polliceor autem vobis, quod si praesente ipso de uno tantum crimine vel facinore eius per vosmet ipsos aliquid probaveritis, id apud me sit, ac si universa, quae ei intenditis, probata esse videantur.

deus omnipotens perpetuam tribuat securitatem.

315 Constantinus (1)

Coleman-Norton no.24

Ziwsa 1893, pp.211-212. (Optatus Milevitanus, Appendix VII); Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.496-497; Migne 1844f, v.8, cols.489-492, also v.43, cols.789-790.

<Constantinus> Celso vicario africae.

Perseverare Menalium eum quam iam dudum susceperat insania, ceteros, qui a veritate dei digressi errori se pravissimo dederunt, proxima etiam gravitatis tuae scripta testata sunt, quibus inhaerentem te iussioni nostrae de merito seditionis ipsorum eoque tumultu, quem apparabant, inhibendum esse memorasti, frater carissime unde - quoniam ex eo patuit ipsos nefarias res cogitasse, quod enim, cum stavissem inter ipsos et Caecilianum plenissime super allegationibus diversis requirere, praesentiae meae susceptam fugam subtrahere laboraverunt - hoc ipso turpissimo facto confessi ad ea se redire properare, quae et antea fecerant et nunc agere perseverant. at cum constet minime unumquemque propria penitus delicta lucrari, etiamsi paulisper eorum fuerit coercitio dilata, mandandum gravitati tuae duxi, ut interim quidem eosdem omittas, et dissimulandum super ipsos esse cognoscas.

verum lecta hac epistola tam Caeciliano, quam hisdem palam facias, quod cum favente pietate divina Africam venero, plenissime universis tam Caeciliano quam his, qui contra cum agere videntur, lecto dilucido iudicio demonstraturus sum, quae et qualis summae divinitati sit adhibenda veneratio et cuiusmodi cultus delectari videatur, adhibito etiam diligenti examine ea, quae nunc aliqui exinde inlecebris mentis ignorantiaeque occultare se putant, plenissime sum reperturus atque in lucem facturus venire; easdem personas quae res istiusmodi concitant faciuntque, ut non cum ea, qua oportet, veneratione summus deus colatur, perdam atque discutiam. cumque satis clareat neminem posse beatitudines martyris eo genere conquirere quod alienum a veritate religionis et incongruum esse videatur eos quos contra fas et religionem ipsam recognovero reosque violentes competentis venerationis deprehendero sine ulla dubitatione insaniae obstinationisque temerariae faciam merita exitia persolvere; scire itaque pro certo quae habere debeant, ad plenissimam fidem salute etiam teste invocata, quod tam super plebe quam super clericis his, qui primi sunt, sum diligentissime quaesiturus, idque iudicaturus, quod

verissimum et religiosissimum esse manifestum sit, demonstraturus etiam hisdem, qui et qualis divinitati cultus adhibendus sit. nam nequaquam me aliter maximum reatum effugere posse credo, quam ut hoc, quod inprobe sit, minime existimem dissimulandum; quid potius agi a me pro instituto meo ipsiusque principis munere oporteat, quam ut discussis erroribus omnibusque temeritatibus amputatis veram religionem universos concordemque simplicitatem atque meritam omnipotenti deo culturam praesentare perficiam?

Coleman-Norton no.25

Ziwsa 1893, pp.212. (*Optatus Milevitanus, Appendix VIII*); Mansi 1758f, v.2 (305-346) col.497; Migne 1844f, v.43, col.790.

Exemplum epistolae praefectorum praetorio ad Celsum vicarium.

Petronius, Annianus et Iulianus, Domitio Celso vicario Africae.

Quoniam Lucianum, Capitonem, Fidentium et Nasutium episcopos et Mammarium presbyterum, qui secundum caeleste praeceptum domini Constantini maximi invicti semper Augusti ad Gallias cum aliis legis eius hominibus venerant, dignitas eius ad lares proprios venire praecepit, angarialem his cum annonaria competentia usque ad Arelatensem portum secundum imperatum aeternitatis eiusdem clementissimi principis dedimus, frater, qua inde Africam navigarent, quod sollertiam tuam litteris nostris scire conveniat. Optamus te, frater, felicissimum bene valere.

Hilarius princeps obtulit

III Kal. Maias Triburis. <28.Apr.316>

315 Constantinus (1) - Licinius

Mommsen 1890, p.25 (*Fragmenta Vaticana, 33*).

Augg. et Caess. Rutiliae Primae.

Ingenuos progenitos servitutis adfligi dispendiis minime oportere etiam nostri temporis tranquillitate sancitur, nec sub obtentu inita venditionis inlicite decet ingenuitatem infringi. quare iudicem competentem adire par est, qui in liberali causa ea faciet compleri, quae in huiusmodi contentionibus ordinari consuerunt, secundum iudiciariam disciplinam partibus audientiam praebiturus.

Proposita idib. Aug. Romae Constantino et Licinio Augg. IIII cons. <13.Aug.315>

315 Constantinus (1) - Licinius

Mommsen 1890, pp.86-87 (*Fragmenta Vaticana, 273*); Hänel 1857, no.1068 pp.193.

Dominus Constantinus et Caesares.

Prisca legum aequitate *praeclusa* variis ambagum versutiis exquisita donatio, licet titulum emptionis vel debiti tenorem comprehendere videatur, tamen claris testationibus probata debet in irritum devocari, si quidem consultissima ratione videatur esse provisum matrimonio constante donationes inter virum et uxorem altrinsecus agitatae nullam firmitatem habere. Nec sibi debent mulieres blandiri, si tamquam venditores vel debitores ad eludendas legum sanctiones mariti earum se falso videantur esse professi. Quare Vettium Rufinum clarissimum virum praefectum urbi amicum nostrum, cuius notio est, adire non prohiberis, qui *partium* allegationibus examinatis petitioni tuae secundum iuris providebit iustitiam.

Data XIII kal. nov. Mediolano Constantino et Licinio cons. <19.Oct.315>

316 Constantinus (1) - Licinius

Krueger 1890, p.220 (*Consultatio veteris iurisconsulti, 9.13*).

Item eodem corpore <?Theodosiano>.

Imp. Constantinus A. ad Maximum praefect. urb. (inter cetera et ad locum;) Pactiones eas valere volumus, si cum legibus consentiant et reliqua.

Dat. VI. non. Febr. Romae Sabino et Rufino cons. <316>

318 Constantinus (1) - Licinius

Mommsen 1890, p.91-92 (*Fragmenta Vaticana*, 287); Hänel 1857, no.1071 pp.193.

Constantinus et caess...

Donatione secundum iuris normam perfecta nec ea quae matres in filios contulerunt revocari iura permittunt. Sane si generaliter tantummodo vel stipulatione interposita vel mancipatione totius patrimonii donatio celebrata est, id quod donatum est stare non potest, cum haec donatio ad id ut proprietas possit transferri non valeat. Quare num hoc modo tibi consuli possit, rectorem provinciae interpellare poteris.....

Licinio V et Crispo consss....<318>

313-325 Constantinus (1) - Licinius

Mommsen 1890, p.52 (*Fragmenta Vaticana*, 113); Hänel 1857, no.1066 pp.190.

[...] verecundiam hoc est vitae probabilis instrumentum *nolumus ita ... in periculum* redigi, ut eam praelatam liceat p... tatis eum... fretus coniunctionis firmitate proi... em..... m iuxta statutum iudicantis adflixerit *sententia...* a deprimitur. Viderit enim, utrum in praeteritum, *ex auctoritate Pauli? non nisi dote* repromissa aestimantis aliquid remanere *debere, eo solo modo* constituta petendi firmitas putaretur e communi *iure dotium an, quod nobis sanctorum* parentium affectus persuasit, ut in sola *libelli datione de dote* obligatio gigneretur. Frustra evidens *impugnat calumnia paternam* restituendae dotis voluntatem astutia *heredum...* speciebus, quas doti pater filiae nomine designaverat... um libelli scriptione promat et de redhibitione... a filiae dotem restitui voluit, frustra Maximus,... *desiderat, Renato* submoto, cui dos Paulinae nomine *petita est, heredes* repetitionem instituere potuisse iudicavit. *Iure Renatus, quoniam demortui* voluntas soceri primo per libellum, dehinc *testamento declarata est, nos* consuluit, auxilium nostrae mansuetudinis *inplora... undique* versum eius actionibus aditum daret. Qui cum repetitionem... s et violato necessitudinis iure secundo soceri *iudicio... adipisci* merebatur. Quapropter Maximi sententia, dotem, cuius *postulatur restitutio, iuxta* extremam restitui voluntatem, qui eam reddi *sibi desiderat filium non prohiberi* placuit; nec enim dubium est effectum *restitutionis ei a patre esse* destinatum, cui dotem filiae nomine per libellum *dari voluit.*

321/322 Constantinus (1)

Coleman-Norton no.39

Ziwsa 1893, pp.212-213. (*Optatus Milevitanus, Appendix VIII*); Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.497-498; Migne 1844f, v.8 cols.491-492, also v.43 col.791.

Constantinus Augustus universis episcopis per Africam, et plebi ecclesias catholicae.

Quod fides debuit, quantum prudentia valuit, prout puritas potuit, temptasse me per omnia humanitatis et moderationis officia optime scitis, ut iuxta magisteria legis nostrae pax illa sanctissimae fraternitatis, cuius gratiam deus summus famulorum suorum pectoribus inmiscuit, stabilita per omnem concordiam tenetur.

sed quia vim illam, sceleris infusi paucorum licet sensibus pervicaciter inhaerentem intentionis nostrae ratio non potuit edomare favente adhuc sibi huic nequitiae patrocinio, ut extorqueri sibi omnino non sinerent, in quo se deliquisse gauderent, spectandum nobis est, dum totum hoc per paucos sedit, in populum omnipotentis dei misericordia mitigetur. inde enim remedium sperare debemus, cum omnia bona vota et facta referuntur. verum dum caelestis medicina procedat, hactenus sunt consilia nostra moderanda, ut patientiam percolamus et, quicquid insolentia illorum pro consuetudine intemperantiae suae temptant aut faciunt, id totum tranquillitatis virtute toleremus. nihil ex reciproco reponatur iniuriae; vindictam enim, quam deo servare debemus, insipientis est manibus usurpare, maxime cum debeat fides nostra confidere, quicquid ab huiusmodi hominum furore patietur, martyrii gratia apud deum esse valiturum. quid est enim aliud in hoc saeculo in nomine dei vincere quam inconditos hominum impetus quietae legis populum lacescentes constanti pectore sustinere?

quod si observaverit vestra sinceritas, cito videbitis per gratiam summae divinitatis, ut languescentibus eorum institutis vel moribus, qui se miserrimae contentiois vexillarios praebent, sciant omnes non debere se paucorum persuasione pereuntes sempiterno leto dare, quo possint paenitentiae gratia semper vitae aeternae correctis erroribus suis integrari. valete voto communi per saecula iubente deo, fratres carissimi!

323 Constantinus (1) - Licinius

Mommsen 1890, pp.75-79 (*Fragmenta Vaticana*, 249); Hänel 1857, no.1076 pp.194-195.

Constantinus et Caess.

□ Multas saepe natas ex donatione causas cognovimus, in quibus vel adumbrata pro expressis vel inchoata pro perfectis vel plurima pro omnibus controversiam faciant, cum agentium visa pro ingenio ac facultate dicendi aut perfecta deformarent aut inchoata perficerent. Inde ius anceps ac pro dicentium impulsu vaccillanti sententia *non parum* decreta differebant, Maxime karissime ac *iucundissime nobis*. Hinc enim nuper exceptis personis dicta lex est, in quibus summum ius et voluntas omni libera sollemnitate, modo perfecta ortus suos praesenti munere opulentat. Tempestiva dehinc communium donationum cura successit; absolutis enim illis, quae ideo prima sunt, quoniam sunt religione potiora, circumacto animo ad universum donationum genus conspeximus omnes earum species signis ac nominibus inprimendas, ut in hominum contractibus differentiam sui nuncupationum proprietate secernant. Itaque sive illa donatio directa sit, sive mortis causa instituta, sive condicionibus faciendi non faciendive suspensa, sive ex aliquo notato tempore promissa, sive ex animo dantium accipientiumve sententiis quantum ius sinit cognominata, eius haec prima observatio est, ut quas leges indulgent condiciones pactionesque promantur, hisque penitus cognitis vel recipiantur, si complacitae sunt, vel reiciantur, si sunt molestae. Sed iure requisitis parendum erit nec denegabitur officium, quin simul spes abiciatur adipiscendi. Inretiri sane condicionibus indefensos minores, quoniam praestare promissa difficile est, non placuit. Quorum tamen defensores, si forte per eos in obeundis donationum officiis, quarum cura erit recepta, neglecta utilitas minoris probabitur et ita minor commodis spoliabitur, rei amissae periculum praestabunt; ita rei familiaris dispendii metus etiam segniores ad ea conficienda ex tarditate incitabit. Post in iisdem conscribendis praecipue nomen donatoris, ius ac rem notans proscribat. Tum utrumque iure compleatur neque id occulto aut per imperitos aut privatim; his enim rebus saepe clandestina fraus, et quae facta sunt infecta et inducta quae scripta sunt simulans aliisque ac dehinc aliis largiendo atque donando ac saepe venum dando, multos habendi spe allectos concurrere in expugnanda sibi proprietate impulit. Tabulae itaque, aut quodcumque aliud materiae tempus dabit, vel ab ipso vel ab eo quem fors sumministraverit scientibus plurimis perscribantur eaeque, ut supra comprehensum est, rebus nominibus personisque distinctae sint; ac tum corporalis traditio (in quam saepe multi talia simulando inrepentes aut vi corpora capientes sollemne illud ius ac voluntarium inconcessa usurpatione praeripiunt) ea igitur ipsa rerum traditio praesentium, advocata vicinitate omnibusque arbitris, quorum post fide uti liceat, conventu plurimorum celebretur. Non enim aliter vacua iure dantis res erit, quam ea vel eius voluntate, si est mobilis, tradatur, vel abscessu sui, si domus aut fundus aut quid eiusdem generis erit, sedem novo domino patefecerit. Quae omnia consignare actis iudicis praestat, ut res multorum mentibus oculis auribus testata nullum effugiat, cuius aut scientiam capiat aut dissimulationem tegat. Quod si iudex aberit, cui summa provinciae commissa est, mandetur istud magistratum actis, atque ut nullus sit subiciendi aut surripiendi locus, cum alterutri commodum sit, eorum exemplis idem magistratus adscribant. Sic enim conscientia multorum, monumentis iudiciorum ac populorum perscriptis aut litium causa pervulgatis omnibus fides abstrusior non erit. Talia enim esse oportet dominorum initia, quorum diuturna possessio saepe legitima proprietatum iura perfringit, talis liberalitatum honestas, quae locis clamata omnibus accipientium donantiumque familias liberalitatis et gratiae praedicatione compleat, simul ut, cum sit eximium cuiusque donum promerendo cepisse, eius iucunditas nulla

litium tristitudine minuatur. Quod si in spectanda causa dicendaque sententia orba publico testimonio liberalitas caecam gratiam obscurosque coetus prodiderit, quoniam sola fraus cognita est, eorum, quae donata dicuntur, temere non erit fides accipienda : sed ea alienatione, quae publice non sit testata, in donationibus vivorum reiecta vel superhabita solam eam probamus, quae celebrata universis studiis recte regulas supra propositas sequatur. Abolito igitur iure, quod quibusque rebus donandis Cincia lex imposuit neque amplius ea perfectione faciendae quam illa ordinaverat negamus certae formae verborum deinde esse quicquam requirendum, quoniam iam lege commutata verba et ipsa abolita sunt antea necessaria in donationibus faciendis. Neque ullam donationibus iam factis controversiam volumus conflare, cum futuris ius per hanc legem ponamus, quae, ut omnes cognoscant quae iussimus... programmati, tuo praeferenda est. Proposita III non. Febr. Romae Sabino et Rufino cons. in foro divi Traiani. <3.Feb.323>

325 Constantinus (1)

Coleman-Norton no.50

Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.939-944; Migne 1844f, v.8 cols.519-524.

Const(antinus) Aug(ustus) catholicae ecclesiae Nicomediensium <contra Eusebium et Theognium>.

Omnes probe nostis, fratres dilectissimi, dominum deum scilicet et salvatorem Christum patrem et filium esse: patrem dico sine principio, sine fine, parentem saeculi ipsius: filium vero, hoc est patris voluntatem, quae quidem neque per cogitationem aliquam assumpta est, neque ad operum suorum perfectionem per substantiam extrinsecus quaesitam accepta; qui enim hoc intelliget, hic habebit ad omne supplicii genus indefessam tolerantiam.

Sed dei filius Christus omnium opifex, et immortalitatis ipsius largitor genitus est, quantum ad fidem spectat eam qua credimus: genitus est, imo vero progressus est ipse, cum omnino in patre esset, ad eorum quae ab ipso facta sunt, ordinationem. Genitus igitur individuo quodam processu, voluntas enim simulatque domicilio ipsius infixata est, ea quae diversa indigent cura, secundum uniuscuiusque qualitatem tractat atque administrat. Quid igitur est? quid inter deum patrem et filium medium? nihil scilicet, ipsa enim rerum completio cognitione accepit voluntatis imperium, non quidem separata ex patris essentia voluntatem separavit.

Quod vero ad ista sequitur, quis est qui dominum meum Christum filium reverentia magis ductus quam stultitia metuit? Num itaque patitur deus? postquam augusti corporis habitatio ad notitiam propriae sanctitatis properat: an cadit sub tactum illum quod separatum est a corpore? Num igitur separavit hoc quod a corporis humilitate ablatum est? num vero vivimus, licet ad mortem, animae gloria corpus asciverit?

Quid igitur hic innoxia et sincera fides dubitatione dignum offendit? nonne vides deum augustius corpus elegisse, quo fidei indicia et virtutis suae documenta voluit ostendere? et iam confusum a diabolo errorem, humani generis perniciem excutere, novamque religionis doctrinam dare ignorantiae documento, indignas mentis cogitationes purgare, deinde vero mortis cruciatus retundere, ac immortalitatis praemia longe ante praedicere.

Sed vos, quos ut deinceps fratres appellem, caritatis communio facit (non ignoratis me conservum vestrum), non ignoratis vestrae salutis praesidium, cuius curam ingenue suscepi, et per quod non solum armatos hostes nostros devicimus, verum etiam viventes adhuc coegimus humanitatis veram fidem profiteri. Ego vero in his bonis propter instaurationem orbis terrarum maxime gaudebam. Et enim admiratione plane dignum fuit tot gentes ad concordiam consensumque adduxisse, quae paulo ante dicebantur deum ignorare. Verum quomodo cogniturae erant gentes ea, quae nullo contentionis studio intelligere curarent?

Quid igitur cogitatis, fratres carissimi, quod nos ipsos accuso? Christiani sumus, et miserabili affectu dissentimus. Haec igitur ipsa est fides nostra? haec sanctissimae legis doctrina? Sed quae tandem est causa, ob quam praesentis mali perniciem excitata est? O rem absurdam! summum odium, quod omnis indignationis magnitudinem excedit! Quae tandem visa est huius atrocitas? num dei filium negat ex individua dei substantia processisse? Anne deus ubique est? atqui hunc

semper adesse nobis sentimus. Anne huius potentia universitatis ornatus coaluit, atque separationis dissidio privatus est?

Ne quid igitur a nobis actum sit, fratres carissimi, attendite, quaeso, praesentis doloris probationem. Vos illius confessores fore promisistis, quem esse negatis, cum vobis istud exitiabilis ille doctor persuaserit.

Quis obsecro innocentem multitudinem ista docuit? Eusebius videlicet tyrannicae crudelitatis socius. Nam quod excubaret et omnino vigilaret pro tyranno, ex multis undique potest intelligi, siquidem istud episcoporum, eorumque vere episcoporum caedes testantur: istud crudelissima Christianorum persecutio palam clamat. Neque certe de iis quibus me affecit contumeliis hoc loco verba faciam, per quas adversariorum contra me concursus quantum fieri poterat maxime procurabantur, qui et oculis tanquam speculatoribus me observavit. Quin etiam ministerio prope militari, quo tyranno opem ferret, perfunctus est. Ac nemo existimet me imparatum minusque instructum esse etiam ad istas res, si opus fuerit, confirmandas. Verissime enim ostendi potest, tum presbyteros, tum diaconos a me manifesto deprehensos, qui Asebiu[m] assidue stipabant. Sed haec quidem omitto, quae nunc non eo dicuntur a me, quod ipse ea graviter et iniquo animo feram, sed quo eos suae ipsorum pudeat insaniae.

Illud solum metuo, illud animo verso, quod vos video in huius criminis societatem vocari. Nam institutione Eusebii et conversatione conscientia vestra a veritate deflexit. Verum huius rei expedita est et facilis curatio, si modo episcopum fidelem et integrum nacti, oculos ad deum denuo converteritis: quod quidem in praesentia est in vestra situm potestate, quodque etiam dudum penes vestrum iudicium fuerat, nisi Eusebius ipse, de quo dixi, pravo eorum qui eum iuverunt consilio huc praeceps ruisset, et rectum eligendi ordinem impudenter conturbasset.

Sed quoniam mihi de hoc ipso Eusebio pauca dicenda sunt, quaeso libenter, attendite. Non vos praeterit concilium Nicaeae celebratum, cui ipse, sicut conscientiae meae munus postulabat, interfui, non alio sane animo, quam ut tum concordiam inter omnes constituerem, tum omnium maxime ut reprimerem penitus et submoverem eam rerum perturbationem, quae ex Arii Alexandrini amentia orta, illico ex absurdo et pernicioso conatu Eusebii vires collegit. Nam quanta concursione, amantissimi honoratissimique fratres, putatis istum Eusebiu[m], utpote ipsa conscientia convictum, quanta cum ignominia mendaciis undique deprehensis, aggressum esse primum certos quosdam homines subornare qui pro eo deprecarentur: deinde a me auxilium petere, ne tanti sceleris damnatus de honoris sui gradu deiiceretur. Huius rei testis est mihi deus, qui tum mihi, tum vobis benignus perpetuo adsit, quod et meum pervertit iudicium, et turpiter a veritate abduxit: quod et vos cognoscetis. Nam tum omnia gesta sunt ex eius sententia, qui perniciem omnem adhuc intra cogitationem suam abditam et occultam tenuit.

Ac primum, ut caetera illius nequitiae facinora praeteream, audite, quaeso, quid nuper cum Theognio, quem dementiae socium habebat, perpetraverit. Ipse forte quosdam Alexandrinos qui a fide nostra defecerant, huc mitti iusseram, quandoquidem eorum opera dissidii flamma incensa erat. Sed isti honesti bonique scilicet episcopi, quos vera concilii diiudicatio ad poenitentiam agenda[m] reservaverat, non solum eos admiserunt ad se, et secum tuto collocarunt, verum etiam illorum depravatis moribus communicarunt. Quamobrem ingratos istos aliquo pacto puniendos esse censui, et iussi, ut a suis abrepti sedibus longissime relegarentur.

Iam vestrum est ea fide in deum aciem mentis vestrae intendere, in qua vos semper mansisse constat, et nunc etiam manere decet, omnemque aetatem ita degere; ut episcopos integritate vitae, doctrinae puritate, tum benignitate etiam in omnes, eximios habentes, iure laetemur. Si quis autem temere pestes illas vel memoria, vel laudibus celebrare audeat, confestim servi dei, hoc est mei ipsius opera poenas suae audaciae dabit.

Deus vos, fratres carissimi, incolumes servet.

325 Constantinus (1)

Mansi 1758f, v.2 (305-346) col.946; Migne 1844f, v.8 cols.523-524.

Coleman-Norton no.51

Victor Constantinus Augustus Theodoto.

Quanta vis divinae irae extitit, etiam ex iis quae Eusebio et Theognio acciderunt, facile licet tibi intelligere: qui in sanctissimam religionem debacchantes, dei salvatoris nomen ipsa turba praedonum suorum etiam post impetratam veniam polluerunt. Nam tum maxime quando post concordem synodi consensionem, priorem errorem eos corrigere oportuit, absurdis istis opinionibus adhaerescere deprehensi sunt. Ob hoc igitur divina providentia ex populi sui numero eos exturbavit; quoniam neque tulit minime malas mentes amentia illa corruptas videre: et nunc debitas ab iis poenas exposcit, maiores etiam deinceps in omni saeculo sumpturus.

Quod prudentiae tuae indicare oportere putabam, ut si qua perversa admonitio istorum (quod non existimo) tuo insideat animo, ea ex animo deleta, puram ut decet, cogitationem, veram sanctificationem, intemeratam fidem servatori deo praebere studeas. Etenim consentaneum est hoc ab eo fieri, qui incorruptis aeternae vitae praemiis dignus haberi constituerit.

Deus te custodiat, frater dilecte.

329 Constantinus (1)

Mommsen 1890, p.25 (Fragmenta Vaticana, 34); Hänel 1857, no.1066 p.186.

Augg. et caess. Flaviae Aprillae.

Cum profitearis te certa quantitate mancipium ex sanguine comparasse, cuius pretium te exsolvisse dicis et instrumentis esse firmatum, hoc a nobis iam olim praescriptum est, quod, si voluerit liberum suum recipere, tunc in eius locum mancipium domino dare aut pretium quo valuisset numeraret; etiamnunc, si a suis parentibus certo pretio comparasti, ius domini possidere te existimamus. Nullum autem ex gentilibus liberum adprobari licet.

Subscripta XII. kal. Aug. Constantino aug. III cons. <21.Jul.329>

330 Constantinus (1)

Coleman-Norton no.59

Ziwsa 1893, pp.212-216. (Optatus Milevitanus, Appendix X); Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.498-500; Migne 1844f, v.8, cols.531-532, also v.43, cols.791-793; Hänel 1857, no. 1083 p.204 (excerpt).

Constantinus Victor Maximus ac triumphator semper Augustus Zeuzio, Gallico, Victorino, Sperantio, Ianuario, Felici, Crescentio, Pantio, Victori, Babbutio, Donato episcopis <Numidarum>.

cum summi dei, qui huius mundi auctor et pater est, cuius beneficio vitam carpinus, caelum suspicimus, humana etiam societate gaudemus, hanc voluntatem esse constet, ut omne humanum genus in commune consentiat et quodam societatis affectu quasi mutuis amplexibus glutinetur, non dubium est haeresis et schisma a diabolo, qui caput est malitiae, processisse; et ideo, quicquid ab haereticis geritur, eius instinctu fieri, qui eorum sensus mentes cogitationesque possedit, nulla dubitatio est. nam cum eiusmodi homines in sua potestate redegerit, hisdem usquequaque dominatur, quid autem boni efficere insanus, perfidus, inrelegiosus, profanus, deo contrarius; ecclesiae sanctae inimicus potest, qui a deo sancto, vero, iusto, summo atque omnium domino recedens - qui nos constituit et in hac luce produxit, qui spiritum ad vitam quam carpinus, dedit et qui nos id, quod suum esse voluit, et omnia sua voluntate perfecit - ad diaboli partem prono errore decurrit? sed quia semel possessus animas a malo - necesse est doctoris sui operibus instare - ea perficiat, quae aequitati et iustitiae contraria videantur, idcirco ii, qui a diabolo possessi sunt, eius falsitati et nequitiae obsecuntur. non autem miratum est a bonis improbos discedere; nam sic recta proverbio signatum est: pares cum paribus congregari. qui malo impiae mentis infecti sunt, necesse est a nostra societate dissideant. homo siquidem malus, ut scriptura loquitur, de malo thesauro profert mala, bonus vero ex bono profert bonum. <cf. *Matth.7.17.18*>

sed quia, ut dictum est, haeretici et schismatici, qui bonum relinquentes et malum sectantes ea perficiunt, quae deo displiceant, diabolo, qui eorum pater est, adprobentur adhaerere, rectissime et sapienter gravitas vestra fecit et secundum sanctum fidei praeceptum ab eorum perversis contentionebus temperando et hisdem remittendo, quod idem sibi indebitum atque alienum

usurpare contendunt, ne, sicuti est eorum perversitas maligna et perfida, ad seditiones usque prorumperent et inter turbas atque concentus sui similes incitarent atque ita aliquid existeret, quod sedari non oporteret. sceleratum quippe eorum propositum semper requirit diaboli opera perficere. et ideo cum a sacerdotibus dei per patientiam cum ipso suo patre superant, sibi ii, qui cultores dei summi gloriam, illi vero damnationem conparent et condigna supplicia. ex hoc quippe maius dei summi existat iustusque iudicium, quod eos aequo animo tolerat et patientia condemnat his omnia, quae ab ipsis processerunt, sustinendo, deus siquidem, se omnium vindicem promisit. et ideo cum vindicta deo permittitur, acius de inimicis supplicium sumitur. quod vos nunc famulos et sacerdotes dei libenter fecisse cognovi et satis gratulatus sum, quod de impiis et sceleratis, sacrilegis et profanis, perfidis et inrelegiosis et deo ingratis et ecclesiae inimicis nullam vindictam poscitis et, ut idem potius ad veniam pertineant, postulatis. hoc est vere ac penitus deum nosse, hoc est praeceptis insistere, hoc est feliciter credere, hoc est vere sentire, hoc est scire, quod maior vindicta in contrarios ecclesiae provocetur, cum hisdem in saeculo parcutur.

accepta igitur epistola sapientiae et gravitatis vestrae, conperi haereticos, sive schismaticos eam basilicam ecclesiae catholicae, quam in Constantina civitate iusseram fabricari, solita improbitate invadendam putasse et frequenter tam a nobis quam a iudicibus nostra iussione commonitos et reddere, quod suum non erat noluisse; vos autem imitatores patientiae dei summi eorum malitiae placida mente ea, quae vestra sunt, relinquentes et potius locum vobis invicem alium, fiscalem scilicet, poscere. quam petitionem, more instituti mei libenter amplexus sum et statim ad rationalem competentes litteras dedi, ut domum bonorum nostrorum transgredi faciat cum omni iure suo ad dominium ecclesiae catholicae, quam prompta liberalitate donavi ac vobis tradi protinus iussi. in quo tamen loco sumptu fiscali basilicam erigi praecepi. ad consularem quoque scribi mandavi Numidiae, ut ipse in eiusdem ecclesiae fabricatione in omnibus sanctimoniam vestram iuaret. lectores autem ecclesiae catholicae et hypodiacones, reliquos quoque <qui> instinctu memoratorum quibusdam pro moribus ad munera vel ad decurionatum vocati sunt, iuxta statutum legis meae, ad nullum munus statui evocandos; sed et eos qui ducti sunt haereticorum instinctu, iussimus protinus molestis perfunctionibus absolvi. de cetero etiam legem meam super ecclesiasticos catholicas datam custodiri mandavi, quae omnia <ut> vestrae patientiae palam fierent, harum literarum testificatione perscripta sunt.

et utinam quidem haeretici vel schismatici aliquando suae saluti providerent et detersis eorum tenebris ad visionem verae lucis oculos aperirent et a diabolo secederent et ad deum, qui unus et verus, qui omnium iudex est, vel sero confugerent! sed quia constat eos in sua malitia manere et in suis facinoribus mori velle, sufficit hisdem commonitio nostra et praecedens assidua cohortatio si enim iussionibus nostris obtemperare voluissent, ab omni malo liberarentur. nos tamen, fratres, sequamur, quae nostra sunt, mandatis instemus, custodiamus divina praecepta ex bonis actibus, vitam nostram ab erroribus vindicantes favente dei misericordia per rectum limitem dirigamus!

Data non. Februar. Serdica. <5.Feb.330>

330 Constantinus (1)

Mommsen 1890, p.75 (Fragmenta Vaticana 248); Hänel 1857, no.1083 p.203.

[...] ipsam contumeliis persequi neque in affectu pietatis monitos posse mitescere. Volumus igitur ut, si constiterit iuxta patrem liberos, contra quam humanitatis ratio deposcit, superbe crudeliterque se tollere, emancipatio firmitudine evacuetur, idque quod liberis pater donationibus contulit, patris ditioni naturaeque iuri subiugati patriae reddant potestati, et ita illi, qui sacris evoluti a functione obsequii recesserunt, necessitatis laqueis adstricti nova commendatione pietatis etiam detrectantes ad id veniant.

Data XVII k. Aug. Constantinopoli Gallicano et Symmacho cons. <16.Jul.330>

323+331 Constantinus (1)*Lee p.90 / Johnson no.304 / Coleman-Norton no.43 (excerpt)**Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: CIL 03, 00352 (p 1268) = CIL 03, 07000 = D 06091 = ILCV 00003 (em) = MAMA-07, 00305 = AE 1999, 01577 = AE 2004, +01331*

[S]ac(rae) li[tte]r(ae?) hae(c) quae in precem con[tu]lis[tis et nominis] / et dignitatis reparationem iure qua[erunt obtine]/re proinde vicari intercessione qua[e fuerant mu]/[t]ilata ad integrum pris<c=G>i honoris r[educi san]/cimus ut et vos oppidumque dilig[entia tui]/tum expetito legum adque appellatioms s[plendore] / perfruammi infra scrib(s)i(?) /

/ have Abiabi carissime nobis / incole Orcisti iam nu(n)c oppidi et / civitatis iucundam munificien/tiae nostrae materiem praebue/runt Ablabi carissime et iucundiss[i]/me quibus enim studium est urbes vel n[o]/vas condere vel longaevas erudire vel in/termortuas reparare id quod petebatur acc[e]/ptissimum fuit adserverunt enim vicum suum / spatiis prioris aetatis oppidi splendore floru/isse ut et annuis magistratum fascibus orn[a]/retur essetque curialibus celebre et popul[o] / civium plenum ita enim ei situ ad[q]ue ingenio / locus opportunus esse perhib[e]tur ut ex qu/attuor partibu[s e]o totidem in sese confluan[t] / viae quibus omnibus publicis mansio tamen [u]/tilis adque accomo[da] esse dicat[ur] aquaru[m] / ibi abundantem afflu[en]tiam labacra quoqu[e] / publica priva[ta]que forum istatus(!) veterum / principum ornatum populum comm[a]nentium / adeo celebrem [ut se]dilia [qu]ae ibidem sunt [fa]/cile compleantur pr[ae]terjea ex decursibus / praeterfluentium [a]quarum aquim(o)lin[a]/rum numerum copiosum quibus cum omni/bus memoratus locus abundare dicatur c[on]/[t]igisse adserverunt ut eos Nacolenses si[bi] / [a]dnecti ante id temporis postularent quo[d] / [es]t indignum temporibus nostr(i)s ut tam o[p]/[p]ortunus locus civitatis nomen amittat / et inutile commanentibus ut depraeda/[t]ione potiorum omnia sua commoda utilit[a]/[tes]que deperdant quibus omnibus quasi / quidam cumulus accedit quod omnes / [i]bidem sectatores sanctissimae religi/onis habitare dicantur qui cum praeca/rentur ut sibi ius antiquum nomenque / civitatis concederet nostra clementia / sicuti adnotationis nostrae subiec[t]a / cum precibus exempla testantur huius mo/di sententiam dedimus nam haec quae in pre/cem contulerunt et nominis et dignitatis // reparation[em iure quae]/runt obtinere p[ro]inde gra]/vitatis tuae inte[r]cessione] / quae fuerant mu[tilata] / [a]d integrum prisgi(!) [honoris] / [re]duci sancimus ut et [ipsi] / [o]ppidumque diligent[ia sua] / [t]uitum expetito legum [ad]/[q]ue appellationis splen[d]ore perfruantur par es[t] / [i]gitur sinceritatem tuam i[d] / [q]uod promptissime pro tem[po]/[ri]s nostri dignitate conces/[si]mus erga supplicantes fes/[ti]nanter implere vale Abla[bi] / [ca]rissime ac iucundissime n[obis] /

/ exemplum precum / [a]d auxilium pietatis vestrae / [conf]ugimus domini Imp(erator) Constantine / [maxi]me Victor semper Aug(uste) et Crispe et / [Con]stantine et Constanti nobb(ilissimi) Caess(ares) / [patri]a nostra Orcistos vetusti[s]/[sim]um oppidum fuit et ex antiquis[is]/[m]is temporibus ab origine etiam / [civ]itatis dignitatem obtinuit / [e]t in medio confinio Gal[a]tiae P(h)ri[g]/iae situm est nam quattuor viar[um] / [t]ransitus exhibet id est civita[tis] / [P]essinunte(n)sium quae civita[s] dis/[ta]t a patria nostra tricensim[o fe]/[re l]apide necnon etiam civitat[is Mi]/[d]aitanorum quae et ipsa est a [patria] / [n]ostra in tricensimo miliario e[t civi]/[t]atis Amorianorum quae posita // <[323-326]>

// [s]cr(iptum) prid(ie) / Kal(endas) Iulias / [C]onstantinoli / Imp(erator) Caes(ar) Consta[n]tinus / Maximus G<o=U>th(icus) victor ac trium/fator Aug(ustus) et Fl(avius) Clau(dius) Constantinus / Alaman(nicus) et Fl(avius) Iul(ius) Const(ant)ius nn(o)bb(ilissimi) / Caess(ares) s[al]utem dicunt / ordini civit(atis) Orcistanorum / actum est indulgentiae nos/trae munere ius vobis civita/tis tributum non honore modo / verum libertatis etiam privi/legium custodire itaque Na/colensium iniuriam ultra in/dulgentiae nostrae beneficia / perdurantem praesenti re/scriptione removemus idque / oratis vestris petitionique / deferimus ut pecuniam quam / pro cultis ante solebatis in/ferre minime deinceps dependa/tis hoc igitur ad virum perfe/[c]tissimum rationalem Asia/nae dioeceseos lenitas nostra / perscribit qui secutus for/[mam] indulgentiae concessae / vobis pecuniam deinceps pr[o] / supra dicta specie expeti a vo/bis postularique prohibeb[it] / bene valere vos cupim[us] / Basso et Ablabio cons(ulibus) / [<30.Jun.331>

333 Constantinus (1)

Pharr p.477 / Coleman-Norton no.65

Mommsen 1904, pp.907-8 (Constitutiones Sirmondianae, no.1).

Imp. Constantinus a. ad Ablabium praefectum praetorio.

Satis mirati sumus gravitatem tuam, quae plena iustitiae ac probae religionis est, clementiam nostram sciscitari voluisse, quid de sententiis episcoporum vel ante moderatio nostra censuerit vel nunc servari cupiamus, Ablabi, parens karissime atque amantissime.

Itaque quia a nobis instrui voluisti, olim promulgatae legis ordinem salubri rursus imperio propagamus.

Sanximus namque, sicut edicti nostri forma declarat, sententias episcoporum quolibet genere latas sine aliqua aetatis discretione inviolatas semper incorruptasque servari; scilicet ut pro sanctis semper ac venerabilibus habeantur, quidquid episcoporum fuerit sententia terminatum.

Sive itaque inter minores sive inter maiores ab episcopis fuerit iudicatum, apud vos, qui iudiciorum summam tenetis, et apud ceteros omnes iudices ad executionem volumus pertinere.

Quicumque itaque litem habens, sive possessor sive petitor vel inter initia litis vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum iam coeperit promi sententia, iudicium elegerit sacrosanctae legis antistitis, ilico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad episcopum personae litigantium dirigantur.

Multa enim, quae in iudicio captiosa praescriptionis vincula promi non patiuntur, investigat et publicat sacrosanctae religionis auctoritas.

Omnes itaque causae, quae vel praetorio iure vel civili tractantur, episcoporum sententiis terminatae perpetuo stabilitatis iure firmentur, nec liceat ulterius retractari negotium, quod episcoporum sententia deciderit.

Testimonium etiam ab uno licet episcopo perhibitum omnis iudex indubitanter accipiat nec alius audiatur testis, cum testimonium episcopi a qualibet parte fuerit repromissum.

Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a sacrosancto homine conscientia mentis illibatae protulerit.

Hoc nos edicto salubri aliquando censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, ut miseri homines longis ac paene perpetuis actionum laqueis implicati ab improbis petitionibus vel a cupiditate praepostera maturo fine discedant.

Quidquid itaque de sententiis episcoporum clementia nostra censuerat et iam hac sumus lege complexi, gravitatem tuam et ceteros pro utilitate omnium latum in perpetuum observare convenit.

Data III nonas Maias Constantinopoli Dalmatio et Zenofilo cons. <5.May.333>

333 Constantinus (1)

Coleman-Norton no.67

Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.930-939; Migne 1844f, v.8 cols.509-518.

Constantinus Augustus Ario et Arianis.

Malus interpres, revera effigies quaedam et imago diaboli est. Ut enim illum periti artifices ad omnem deceptionis dolum effingunt velut pulchritudinis formaeque decus affingentes illi, natura sua plane turpissimo, ut miseros mortales perdat, errorem iis obiiciens, eodem plane modo, ut opinor, facit, cui illud solum studio dignum videtur, ut noxia impudentiae et audaciae suae pharmaca profusius omnibus obiiciat. Etenim novam, nec post homines natos unquam visam, infidelitatis fidem inducit. Quamobrem nec a veritate abhorrere illud videtur iam pridem divina oratione explicatum, quod ad malum sunt sapientes.

Quid enim quispiam dixerit illum consilii capiendi gratiam perdidisse; qui non amplius sublevationis auxilium ullum invenire expetit? Quorsum igitur, Christe Christe, domine domine? quorsum nos quotidie praedones vulnerant? Stat ex adverso dura quaedam et violenta audacia, fremitu frendetque dentibus infamia deformis, et innumeris sauciata criminibus. Ipsa certe in lege et promulgatione nominis tui velut quibusdam procellis et malorum fluctibus disiecta, effundit

perniciosa verba, eaque scribens in lucem edit, quae numquam tu, qui cum aeterno patre tui ipsius fonte una existis, in cognitione tui definivisti. Cogit omnino et convenit graves et iniquas impietates, nunc quidem linguas crispans, nunc vero iterum miserorum studiis elata, quos ipsa praesentes prae securitate decipit simul et corrumpit.

Iam autem volo praesidiis ipsius ingenium expendere. Quid enim ait? Aut teneamus, inquit, cuius iam compotes facti sumus, aut fiat sicut ipsi volumus. Cecidit et cecidit quidem interfectus: dolo ne, inquit, an atroci aliqua calliditate, nihil refert. Illud solum grande ducit, quod propter pravas cogitationes in ipsum irrepsit. Multitudinem, inquit, habemus. Progrediar et ipse paulo ulterius, ut insani belli spectator fiam: ipse, inquam, progrediar, insanorum bella sedare antea solitus. Age sane Mars, Ari, clypeis utendum est: ne tu hoc feceris, obsecro, detineat igitur te Veneris congressus. Verum utinam quemadmodum turba plausibilis videris, sic et pietate vigeres erga Christum. Ecce iterum supplex venio, et armorum copia pollens, pugnare nolo: Christi vero fide munitus, cum te sanare, tum alios curare volo.

Cur igitur ais ea te facere quae moribus tuis non conveniunt? Sed qua quiete, dic mihi, dic, quaeso, aut quibus copiis cinctus, vel potius quo temeritatis proventus? O audaciam fulmine vindicandam! Audite quae nuper mihi indicavit, calamo virus instillante scribens: Sic, inquit, credimus. Deinde addens nescio quae insolenter et valde accurate elaborata, progressus ulterius nihil acerbitatis omisit, sed omnem, ut ita dicam, dementiae thesaurum aperuit: Expellimur, inquit, et receptionis nostrae securitas omnis tollitur. Sed haec parum ad rem, quae sequuntur attendite: ipsius enim verbis utar.

Rogamus, inquit, si in eadem sententia maneat Alexandriae episcopus, facultatem nobis posthac dari ex legis praescripto legitimos et necessarios cultus deo tribuendi. O insignem impudentiam, quam veritatis studio reprehendi oportebat! Quod enim illi ex animi sententia accidit, id dictionis compendio expressit. Quid ais, inepte? Dissidium speciosum scilicet nobis ulcus efferati erga me animi opponere paras, et in malo tecum implicatos perdere festinas. Quid, inquis, si nemo dignum me existimat qui recipiar? illud enim saepe impuro gutture clamas, ego vero contra tibi dicam: Ubi certum documentum et testimonium ingenii tui ostendisti? Quod oportuit te diis et hominibus explicare, et perspicue aperire, maxime cum venenati serpentes tum magis efferari soleant, quando in penitissimis lustris reconditos se esse sentiunt. Illud vero valde in eo urbanum est, quod sub persona pudoris tanto studio silentium simulet. Mitem et mansuetum te palam exhibes, cum malarum artium et insidiarum plenus multos fallas. Sed, o miseriam! diabolus ut voluit, Arium nobis iniquitatis officinam fecit.

Accede ac dic mihi fidei tuae documentum, et nequaquam taceas. Heus! tu qui os obtortum et ingenium ab omnem improbitatem possides: unum dicis deum? me suffragatorem habes: sic igitur sentias. Eiusdem essentiae ais esse dei verbum quod principio fineque caret? hoc quoque laudo: sic credas. Si quid ulterius annectis, id tollo. Si quid ad impiam seiunctionem astruis, id ne videre me nec intelligere fateor. Si corporis hospitium ad divinarum functionum dispensationem assumis, non reprehendo. Si spiritum aeternitatis in praecellente Verbo genitum dicis, admitto. Quis novit patrem, nisi qui venit a patre? quem novit pater, nisi quem ex se ab aeterno et sine principio genuit? Tu hypostasim peregrinam substituere putas oportere, male utique credens: ego vero praecellens et omnia pervadentis potestatis plenitudinem patris et filii, essentiam unam esse cognosco. Si igitur tu auferes ab illo, a quo ne cogitatione quidem contentiosorum auferri unquam potuit; additionis autem characterem promotes, et signa quaestionum explicas, illi cui integram quidem ex seipso aeternitatem dedit, incorruptam vero immortalitatis intelligentiam per seipsum, et ecclesiae fidem attribuit.

Abiice igitur, abiice tam stultae opinionis flagitium, facete et canore Ari, mala ad insipientium perfidiam decantans, Iure te diabolus sua subvertit malitia, et quibusdam fortasse hoc iucundum esse videtur: sic enim tibi persuades. Est vero plane pestiferum hoc malum. Age sane, relicto illo absurdarum opinionum studio, o miser Ari, audi: tecum enim dissero. Non sentis te ab ecclesia dei eiectum? periisti, certo scias, nisi teipsum respiciens, dementiae tuam damnes. Sed dices magnam multitudinem hominum te adjuvare, et curas tuas sublevare. Audi igitur, paululum aures

tuas submittens, o impie Ari, et intellige tuam dementiam. Tu vero, deus, qui omnium curam geris, adsis benignus iis quae dicuntur, si ex fide sunt. Ego enim homo tuus divina providentia fretus, ex scripturis Graecis et Romanis, iisque vetustissimis, insaniam Arii aperte demonstrabo ante ter mille annos ab Erythraea praesignificatam atque praedictam, ait enim illa: Vae tibi, Libya, in maritimis sita locis: veniet enim tempus in quo cum populo et filiabus tuis certamen grave, durum et omnino difficile subire cogeris, ex quo omnium fides et pietas iudicabitur: tu vero ad extremum exitium devergis; vos enim coelestium florum receptaculum convellere ausi estis, et morsu discerpere, atque adeo ferreis polluistis dentibus. Quid igitur callide veterator, ubi locorum esse fateris? Illic scilicet: habeo enim litteras, quas ad me furoris tui calamo scripsisti, in quibus ais omnem Libyae populum conspirare tecum ad salutem. Si vero negaveris haec ita se habere, deum testor, me vetustissimum Erythraeae exemplar Graece scriptum habere, quod Alexandriam mittam, ut quam citissime pereas.

Anne tu sine peccato furcifer? anne manifeste periisti miser, tanto malo circumseptus? Novimus quid moliaris: quae cura, quis metus te perturbet, non nos latet, infelix et calamitose. O mentis tuae stuporem, qui morbum et inopiam animae tuae non reprimis, impie; qui veritatem variis confodis sermonibus: et cum talis sis, nos vituperare non vereris, et nunc redarguens, ut tibi videtur, nunc vero commonens tanquam fide et doctrina praestantior, a quo scilicet miseri auxilium sibi suppeditari cupiunt: tametsi neque congregari cum tali oportet, neque omnino illum compellere, nisi quis in subdolis huius verbis recte vivendi spem et in versibus reconditam esse putet. Sed non est hoc verum: longe sane abest, o imprudentiam vestram, qui cum isto vos commiscetis. Quis igitur furor vos huius acerbam linguam et aspectum tolerare coegit?

Esto, sed iam ad te sermonem converto, o hominem animo imprudentem, lingua volubilem, mente infidelem: da mihi disputationis non amplum dico et latum campum, sed circulo recte circumscriptum: neque putrem, sed natura firmum solidumque, o impie et pessime et dissimulator; cogor enim ista dicere, imo vero laqueum tibi iniiciam, et disputatione impeditum in medium te adducam, ut omnis populus improbitatem tuam videat. Sed ad rem ipsam progrediar.

Lotae utique sunt manus: pergamus precibus invocare deum, aut potius contineamus nos parumper. Dic mihi, calidissime, quem deum in auxilium tuum implorabis? Sed continere me nequeo. O tu omnium auctor, domine, o singularis virtutis pater, propter hunc impium ecclesia probra, dolores, imo vero vulnera et moerores patitur. Arius tibi locum iam adaptat, idque admodum praeclare, in quo, ut puto, constituens sibi ipsi synodum, quae filium tuum Christum illum ex te genitum, illum nostri auxilii ducem, adoptionis lege arroget ac teneat. Audi, obsecro, mirandam fidem. Te, domine, loco moveri existimat, te definitae sedis terminis circumscribere audet. Ubi enim tu non praesens es? aut ubi operationem tuam atque efficaciam ex legibus tuis omnia pervadentibus non sentiunt omnes? Omnia enim ipse contines, et extra te nec locum nec aliud quidquam cogitare fas est. Sic potentia tua cum operatione infinita est. Tu autem deus exaudi: at vos populi advertite mentem.

Hic enim est impudens et nequam, qui ad extremam improbitatem et iniquitatem progressus, pietatem simulat. Apage, inquit, nolo deum iniuriis obnoxium videri, ac ob id suppono et fingo mirabilia sane fide, quod deus cum novellam et nuper creatam Christi substantiam faceret, auxilium sibi ipsi praeparavit, ut mihi quidem videtur. Quod enim, inquit ab ipso abstuleris, id minus.

Tibi igitur haec fides est, o lues et perniciosa? Tu ex hypothesi figmentum sumis eum, qui gentium figmenta condemnavit? Tu adscititium eum vocas et velut officiorum ministrum, qui sine cogitatione et ratiocinatione, eo quod semper una cum patris aeternitate existat, omnia perfecit? Adapta iam si audes, adapta inquam, deo, quod praecaveat, et metuat, et speret eventurum; quod cogitet, et ratiocinetur, et quod considerans sententiam suam dicat, et verba formet; quod delectetur, rideat, doleat. Quid igitur ais miserorum omnium miserrime? O virum malitiae plane peritum, intellige si potes, quod in tua ipsius versutia consumeris improbus.

Christus, inquit, propter nos passus est. At ego iam dixi quod sub forma corporis missus est. Sane, inquit: sed metuendum ne aliqua in re imminuere illum videamur. O ferarum interpres, ane insanis, dum ista dicis, et aperte furis? Ecce enim mundus ipse forma est sive figura, et astra characteres suos ostendunt; et omnino spiritus huius globosi orbis, species quaedam est eorum quae sunt, et quasi figuratio. Nihilominus deus ubique adest. Ubinam igitur in deo contumeliae sunt? aut qua in re minuitur deus? O parricida aequitatis. Considera, ex teipso coniecturam capiens, si peccatum videtur esse, in Christo adesse deum. Ille quidem perspexit ignominiam sermonis, nec tarde poenas irrogavit. Praeterea quotidie in mundo peccata committuntur, et tamen deus adest, nec diu supplicia differuntur. Qua igitur in re minuitur potestatis eius magnitudo? an ubique patitur? nihil opinor, mundi enim mens per deum est: per ipsum omnis stabilitas, per ipsum omne ius. Christi fides sine principio ex ipso est. Omnino autem Christus dei lex est, per ipsum immensitatem et infinitatem habens.

Sed de his ex te tuoque ingenio cogitare videris. O furorem insignem! Converte nunc in tuum ipsius exitium diaboli gladium. Videte omnes, videte, ut lamentabiles praetendat voces viperæ morsu laesus, ut venae ipsius et carnes veneno imbutae acerbos cicant cruciatus: ut corpus ipsius tabe defluxit attenuatum, et squalore, sordibus, et lamentatione, et pallore, et horrore, et mille denique malis plenum misere exaruit: ut aspectu deformis, et illuvie sordida capillorum sylva, ut totus semimortuus, et aspectu ipso iam languido, vultu exanguis et curis absumpto: ut simul omnia quae concurrerunt, furor, insania, vanitas propter mali diurnitatem agrestem et ferum reddiderunt. Ne sentit quidem quibus sit in malis. Efferor, inquit, prae voluptate, et tripudio, saltuque lascivio prae gaudio, et exulto. Et rursus valde iuveniliter. Heu, inquit, periimus, hoc quidem certe verum est: tibi enim soli malitia largiter studia et amores sui suppeditavit: quodque magno pretio emerat, tibi facillime donavit. Age vero iam dic, ubi praeclara illa tua monita? Ablue teipsum Nilo, si fieri potest, homo absurdi stuporis plenissime: quippe universum orbem terrarum flagitiis tuis perturbare omni studio contendisti.

Nonne intelligis quod ego iam, qui dei homo sum, omnia sciam? At vero iam dubito utrum manere an abire oporteat, neque enim adhuc visu tantum contendere possum, et peccatum erubesco, o Ari. Nos in luce collocasti, teipsum vero in tenebras coniecisti miser, hic enim visus est laborum tuorum exitus.

Sed illuc iterum redeo multitudinem; hominum circa te vagantium esse ais, par est, opinor: et recipe eos, recipe inquam: nam lupis et leonibus sese devorandos praebuerunt. Verum etiam horum unusquisque decem capitum accessione, et horum sumptu oppressus continuo poenas dabit, nisi quam celerrime ad salutarem ecclesiam recurrens, charitatis pacem amore ac studio concordiae suscipiat. Non enim a te decipientur amplius de mala conscientia damnati: neque funditus perire sustinebunt sceleratis tuis quaestionibus implicati, manifesta enim et nota erunt in posterum sophismata tua: nec ipse quidquam proficies, frustra finges, aequitatem et sermonum lenitatem simulans, et simplicitatis, ut ita dicam, personam extrinsecus induens. Vanum erit omne artificium tuum: cito enim te veritas ipsa circumstabit: cito flammam tuam divinae potentiae, ut sic dicam, imber restinguet. Atqui socios et suffragatores tuos, qui se iam obnoxios curiae fecerunt, publicorum ministeriorum curae excipient, nisi quam citissime fugientes congressum tuum, incorruptam fidem amplexi fuerint.

Tu vero, vir ferree, da mihi aliquod specimen propositi tui, si tibi ipsi fides, et fidei firmitate fretus es, ac puram omnino habes conscientiam. Veni ad me, veni inquam ad dei hominem: crede quod interrogationibus meis cordis tui abdita scrutabor: et si quid insaniae in te residere videatur, divinam gratiam implorans, a morsu te melius curabo: si vero mente sana esse videberis, cognito in te veritatis lumine, deo gratias agam, et mihi ipsi pietatis causa congratulabor.

Et alia manu: Deus vos eustodiat, carissimi.

Per Syncretium et Gaudentium magistrianos perlata sunt haec, cum paterius praefectus esset Aegypti, et lecta sunt in palatio.

E(xemplum) s(acri) r(escripti) Imp(erator) Caes(ar) Fl(avius) Constantinus Max(imus) Germ(anicus) Sarm(aticus) Got(hicus) Victor triumph(hator) Aug(ustus) et Fl(avius) Constantinus et Fl(avius) Iul(ius) Constantius et Fl(avius) Constans

omnia quidem quae humani generis societate(m) tuentur pervigilium cura<rum=E> cogitatione conplectimur sed provisionum nostrarum opus maximu<m=S> est ut universae urbes quas in luminibus provinciarum {h}ac regionum omnium species et forma distinguit{ur} non modo dignitate(m) pristinam teneant sed etiam ad meliorem statum beneficentiae nostrae munere pro<v=B>e{h}antur cum igitur ita vos Tusciae adsereretis esse coniunctos ut in{i}stituto consuetudinis priscae per singulas annorum vices [a]dque praedictis sacerdotes creentur qui aput Vulsinios Tusciae civitate(m) ludos sc{h}(a)enicos et gladiatorum munus exhibeant sed propter ardua montium et difficultates itinerum saltuosa(s) impendio posceretis ut indulto remedio sacerdoti vestro ob editiones celebrandas Vulsinios pergere necesse non esset scilicet ut civitati cui nunc Hispellum nomen est quamque Flaminiae viae confinem adque continuam esse memoratis de nostro cognomine nomen daremus in qua templum Flaviae gentis opere magnifico nimirum pro amplitudine{m} nuncupationis exsurgere(t) ibidemque {h}is sacerdos quem anniversaria vice Umbria dedisset spectaculum tam scaenicorum ludorum quam gladiatorii muneris exhibere(t) manente per Tuscia(m) ea consuetudine ut indidem creatus sacerdos aput Vulsinios ut solebat editionum antedictarum spectacula frequentare(t) pr{a}ecationi {h}ac desiderio vestro facilis accessit noster adsensus nam civitati Hispello aeternum vocabulum nomenq(ue) venerandum de nostra nuncupatione concessimus scilicet ut in posterum praedicta urbs Flavia Constans vocetur in cuius gremio aedem quoque Flaviae hoc est nostrae gentis ut desideratis magnifico opere per<f=E>ici volumus ea observatione perscripta ne aedis nostro nomini dedicata cuiusquam contagios(a)e superstitionis fraudibus polluat consequenter etiam editionum in praedicta civitate exhibend<a=O>rum vobis licentiam dedimus scilicet ut sicuti dictum est per vices temporis sollemnitas editionum Vulsinios quoque non deserat ubi creati(s) e Tuscia sacerdotibus memorata celebra exhibenda est ita quippe nec veteribus institutis plurimum videbitur derogatum et vos qui ob praedictas causas nobis supplices extitistis ea quae impendio postulastis impetrata esse gaudebitis

335 Constantinus (1)

Coleman-Norton no.69

Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.1131-1134; Migne 1844f, v.8 cols.559-562.

Constantinus maximus Augustus populo catholicae per Alexandrinam ecclesiae.

Dilecti fratres, saluto vos, invocans deum, summum meae voluntatis testem, et nostrae legis creatorem, qui omnium vitae praesidet, et discordias odit. Verum quidnam potissimum dicam? An sedicet nos bene valere? Verum id quidem, sed multo felicius agere liceret, si vos mutuo, excussis odiis, amaretis: rixosorum enim hominum procellis occurrere debemus, quod portus dilectionis a vobis relictus sit. O rem absurdam! Vah! quantae quotidie calamitates per invidiam omnia miscentem existunt! unde fit ut populus dei infamia laboret. Quo igitur iustitiae fides recessit, cum tantarum tenebrarum caligine obvolvamur? neque id tam ex errore, qui multiplex est, quam malignorum hominum vitiis, dum et propugnatores verecundiae sustinemus, et eos qui aequitatem et veritatem profligant, etiam cum id sensibus nostris percipiamus, negligendos putemus. Quodnam id genus nostrae perversitatis, si inimicos non reprehendimus, sed latrocinio nos comites damus? Unde fit ut viam quamdam sibi facillime straverit, nemine repugnante, perniciosissima fraus. Nullusne tandem sensus est ne pro dotibus quidem communis omnium naturae, si legis praecepta contemnenda duximus?

Sed dixerit aliquis: Saltem charitas, prout ductus naturae est, reperitur. Admodum scilicet, qui et dei lege, et bono ingenio instructi, toleramus tamen inimicos turbationum et tumultuum facibus quasi incendia miscere: idque neque oculis praediti cernimus, neque legis sententia imbuti sentimus. Quantus igitur stupor nostram vitam incessit, cum nostrimet tam incurii simus, etiam

deo admonente? Quid igitur, num id mediocre aut tolerabile malum est? Num pro hostibus habendi sunt? Nonne in domum et populum dei ante oculos nostros per saevitiam debacchantur, et probra iaciunt scelerati illi?

Iam quanta id cum vesania faciant, vobis ipsis cogitandum relinquo. Stulti enim illi in lingua sua sitam habent malitiam, plumbeasque iras ita secum circumferunt, ut seipsos mutuis vicibus feriant, et nos secum ad auctarium sui supplicii abstrahant. Interim qui recta docet, hostis iudicatur, qui autem invidiae vitium prae se fert, populum mansuetum (quod minime oportuit) invadit, devastat, absumit, et semetipsum ultro corrumpit, gloriatur, extollit, veritatem subvertit, et fidem circumvenit, donec suae conscientiae cavernam et latibulum quaeritando inveniat. Ferocitas igitur agrestis eos miseros facit, qui ita temere semetipsos, cum indigni sint, efferant, inclamantes: Hem scelera! illene presbyter sest, aut illene puer? Mea existimatio attingitur, mihi hoc ipsum debetur, ab illo ablatum est. Ego igitur omnibus spoliatis pro viribus nocebo. Luculentum insaniae tumultum dicas, si acies, conciliabula aut comitia istorum importunissimorum conventuum videas. O nostram in ecclesiam dei perversitatem, spectaculumque maligni et dementis animi! Nunquamne tandem pudefient? nunquamne semetipsi improbabunt? nunquamne in animo morsus sentient, ut vel nunc saltem contra imposturam et rixas dignum aliquid animo concipiant et sentire videantur? Vis sola invidiae est, suis fucis et pigmentis innitens.

Sed tamen nihil mali isti adversus episcopum vestrum potuere. Mihi credite, fratres, nihil aliud studio habent, quam afflictis nostris temporibus nullum sibi locum poenitentiae in hac vita relinquere. Ipsi igitur vobismetipsis auxilio estote: obtestor charitatem vestram, ipsi vos invicem diligite, et omni ope pro vestra concordia istos persequamini qui vestram concordiae gratiam demoliri student: Deumque prae oculis habentes, in mutua charitate consistite.

Ego enim episcopum vestrum Athanasium libenter recepi, eumque ut virum dei allocutus sum. Vestri autem est, non mei iudicii, ea de re cognoscere. Quantum autem attinet ad officium salutationis. colloquiique cum reverendissimo Athanasio, idoneum eum necessariumque arbitratus sum, qui vobis in sacris minister esset; ea est hominis in aequitate tuenda sedulitas: non indigna profecto, nec inepta nostrae pacificae religioni, ut quae dotes salutaris sententiae semper foveat, et rationis adhortamenta sequatur.

Deus vos conservet, dilecti fratres.

335 Constantinus (1)

Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.1134-1135; Migne 1844f, v.8 cols.556-557.

Victor Constantinus maximus Augustus papae Athanasio.

Litteris tuae prudentiae perlectis, in eam venii sententiam, ut putarim te rescriptis nostris adhortandum, ut populum dei ad modestiam et misericordiam abduceres. Meo enim in animo haec inter praecipua habeo, ut et veritatem colam, et in mente semper iustitiam conservem, iisque potissimum gaudeam, qui recta vitae via incedunt. De illis autem omni execratione dignis Meletianis immanibus, inquam, et nefariis hominibus, qui quasi insania correpti stupent, et solummodo invidia et aemulatione et tumultibus ad scelera motum habent, nefariam suam mentem declarantes, ista mihi dicenda puto. Vides enim homines illos quos ipsi ferro interfectos aiebant in medio versari et vita frui. Quo ipso nullum unquam fuerit gravius praeiudicium quodque tam clare eorum causam oneret, quam eos, quos ipsi necatos asseverabant, vivere, et luce frui, qui ipsi pro se causam dicere possunt. Deinde et id quoque additum fuit Meletianorum criminibus: te nefario impetu irrupentem, rapientemque populum, quod in sacratissimo loco repositum erat, confregisse: quo scelere nullum unquam profecto gravius esse posset, si quidem id ita factum et contestatum esset.

At quodnam hoc genus criminationis? quaeve ista desultoria personarum transmutatio, et reorum diversitas, ut nunc in hunc, nunc in alium crimen conferant? quae res ipsa luce lucidior est, ipsos tuae prudentiae insidias tetendisse. Denique quis iam deinceps homines istos tam multa ad noxam fingentes sequi velit? maxime cum ipsi seipsos in barathrum ducant; cumque in

conspectu sit, eos fictarum et falsarum rerum accusatores esse. Ut iterum dicam: quis eos sequi velit, et iter exitii praeceps inire, in quo illi soli mortalium spem salutis auxiliique constituunt? Si enim pura vellent conscientia ingredi, et bonae mentis meminisse, et sanum animum induere, facile intelligerent, nullam ipsis opem a dei providentia expectandam esse, cum se talium rerum aemulatores ad suam perniciem praebeant. Hanc igitur, quam denuntio, non asperitatem, sed severitatem iure appellavero.

Postremo etiam illud adiungimus, ut operam des quo ista quae scripsimus subinde ad populum recitentur; ut res ad omnium notitiam veniat; et praecipue ut illi qui ita agunt, et ad istum modum conversantur, recipiscere possint, quod ista quae nunc a nobis emendationis causa dicuntur, re ipsa et factis demonstrabuntur vera esse. Ita cum in hoc negotio tanta sit malitiae importunitas, certum habeant, me ita decrevisse, atque huius esse sententiae: si quid tale iterum moverint, non pro more ecclesiarum, sed pro legibus publicis memet meapte opera causae cognitionem suscepturum: ac deinde cognoscent, se non solum humani generis, sed etiam divinae disciplinae latrones esse.

Deus te servet, frater dilecte.

335 Constantinus (1)

Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.1155-1158; Migne 1844f, v.8 cols.561-562.

Epistola Constantini Arium ad se accersentis

Iamdudum tuae gravitati significatum est, ut ad mea casira venires, quo posses nostro aspectu frui: unde vix satis mirari possumus, cur hoc abs te non extemplo factum fuerit. Iam igitur publico curru conscenso, nostra castra adire propera, ut nostram benignitatem et studium erga te expertus, in patriam redire queas.

Deus te conservet, charissime.

Data ad quintum Kalendas Decembris. <27.Nov.335>

335 Constantinus (1)

Migne 1844f, v.8 cols.561-564.

Victor Constantinus Maximus Augustus ad sanctam synodum Tyri congregatum.

Erat fortasse consentaneum, et ad praesentis temporis opportunitatem maxime accommodatum, carere omni contentione ecclesiam catholicam, et Christi servos ab omnibus rixis solutos ac liberos esse. Sed quoniam nonnulli sceleratae cuiusdam contentionis furore incitati, ac (ne quid gravius dicam) vitam sua professione indignam agentes, omnia turbare et miscere conati sunt (quod scelus super omnem calamitatem mihi sane positum esse videtur), propterea vos vestra (ut est in proverbio) sponte currentes hortor, ut nulla interposita mora, sed omni qua possitis celeritate, in unum locum confluentes, synodum instituatis, et egentibus opem feratis, in periculo positos fratribus medicinam adhibeatis, divulsa membra ad consensionem revocetis, errata omnia interea emendetis, dum ipsum tempus ferat, ut hisce tantis provinciis quae maxime decet concordiam restituatis, quam paucorum hominum delevit arrogantia. Nam hoc et deo totius huius universitatis domino gratum, et nobis quavis re vel optatissima magis iucundum, et vobis ipsis, si concordiam et pacem revocaveritis, magnae gloriae, vel omnium mortalium iudicio consensuque futurum, plane arbitror. Nolite igitur cunctari, sed acerrimo studio his quibus decet terminis praesentes controversias definite, ut pote qui cum omni puritate et fide coistis, quam in omni coetu prope clarissima voce Salvator noster, cui servimus, in primis flagitat. Nihil vero, quod est nostrarum partium, nostraeque prudentiae, deerit: nam quae litteris mihi vestris significastis, omnia curavi: scripsi ad quos volebatis episcopos, ut vestras curas et sollicitudines praesentia et laboribus suis adjuvarent.

Misi etiam Dionysium consularem, ut omnium rerum gerendarum eos admoneat qui vestrae synodo adesse debent, maxime vero, ut idem animadversor sit et custos conservandae aequabilitatis et ordinis. Quod si quis (quod equidem non futurum arbitror) reiectos et spreto

mandato nostro adesse noluerit, delegabimus aliquem, qui regia illum auctoritas in exilium eiectum docebit, hominem minime decere summi imperatoris praeceptionibus ad tuendam veritatem editis repugnare. De caetero vestrae Sanctitatis partes sunt, non odio, vel gratia ulla, sed consentientibus studiis, secundum ecclesiasticam et apostolicam regulam, omnibus erratis errore aliquo admissis propriam curationem adhibere ut omni aliena contumelia Ecclesiam liberetis, et meas curas allevetis, et rebus turbatis per vos constitutis maximam vobis ipsi gloriam comparetis. Deus vos conservet, fratres dilecti.

Another version in Mansi 1758f, v.2 (305-346) cols.1139-1140.

Victor Constantinus maximus Augustus, sanctae synodo congregatae in urbe Tyro. Fuisset plane consentaneum, et his tam prosperis temporibus maxime accommodatum, ut careret omni probo ecclesia catholica, et Christi servi ab omni nota iam penitus caruissent infamiae. [...] Deus vos conservet, fratres dilecti.

336 Constantinus (1)

Pharr p.479 / Coleman-Norton no.76

Mommsen 1904, pp.910-11 (Constitutiones Sirmondianae, no.4).

Excerpts in Cod.Theod.16.9.1 (21.Oct.335) & Cod.Theod.16.8.5 (22.Oct.335).

Imp. Constantinus ad Felicem praefectum praetorii.

Iam dudum quidem constitutionis nostrae saluberrima sanctio promulgata est, quam nostrae repetitae legis veneratione geminamus, ac volumus, ut, si quispiam Iudaeorum Christianum mancipium vel cuiuslibet alterius sectae mercatus circumcidere non perhorruerit, circumciscus quidem istius statuti mensura libertatis conpos effectus eiusdem privilegiis potiatur: non fas Iudaeo sit qui circumciderit mancipium generis memorati in obsequium servitutis retinere. [*Si quis iudaeorum christianum mancipium vel cuiuslibet alterius sectae mercatus circumciderit, minime in servitute retineat circumciscus, sed libertatis privilegiis, qui hoc sustinuerit, potiatur etc. 16.9.1*] Illud etenim hac eadem sanctione praecipimus, ut, si quispiam Iudaeorum reserans sibi ianuam vitae perpetuae sanctis se cultibus mancipaverit et Christianus esse delegerit, ne quid a Iudaeis inquietudinis vel molestiae patiatur. Quod si ex Iudaeo Christianum factum aliquis Iudaeorum iniuria putaverit esse pulsandum, volumus istiusmodi contumeliae machinatorem pro criminis qualitate commissi poenis ultricibus subiugari, [*Post alia: eum, qui ex iudaeo christianus factus est, inquietare iudaeos non liceat vel aliqua pulsare iniuria: pro qualitate commissi istius modi contumelia punienda etc. 16.8.5*] Felix parens carissime. Quare divinitatis affectu confidimus ipsum in omni orbe Romano qui nostri debita veneratione servata: ac volumus, ut excellens sublimitas tua litteris suis per dioecesim sibi creditam commeantibus iudices moneat instantissime huiuscemodi debitam reverentiam custodiri.

Data XII kal. Novemb. <21.Oct.335>

proposita VII id. Mart. <10.Mar.336> Carthagine Nepotiano et Facundo cons.

336 Constantinus (1)

Mansi 1758f, v.2 (305-346) col.1237; Migne 1844f, v.13 cols.557-560 (Monumenta vetera ad Arianorum doctrinam pertinentia).

Epistola prima Constantii imperatoris ad Athanasium

Constantinus victor Augustus Athansio.

Diu te iactari vexarique immanibus undarum procellis nostrae clementiae humanitas non permisit: nudatum siquidem paternis sedibus bonisque tuis spoliatum, et in inviis feralibusque locis errabundum nostra indefatigabilis pietas non deservit. Nam tametsi iam pridem supersedi mentis meae propositum ad te scribere, eo quod te ultro adventurum exspectarem, et postulaturum malorum tuorum remedium, tamen, quia fortasse voluntatem propositi tui metus impedivit, ideo litteras munificentiae nostrae plenissimas ad tuam constantiam misimus, ut secure conspectui nostro quamprimum tuam praesentiam offeras, ut voti particeps, nostramque humanitatem expertus, tuis restituaris. Hac enim de causa dominum meum et fratrem

Constantem victorem augustum pro te adhortationibus conveni, ut tibi veniendi facultatem daret, quo utriusque nostrum nutu patriae restituaris, et hoc pro pignore nostrae gratiae habeas.

Mansi 1758f, v.2 (305-346) col.1238; Migne 1844f, v.13 cols.559-560 (Monumenta vetera ad Arianorum doctrinam pertinentia).

Epistola secunda Constantii imperatoris ad Athanasium

Et si superioribus litteris significavimus, ut secure ad nostrum comitatum accederes, eo quod maxime cupiamus te ad tuos remittere, tamen etiam has litteras nunc ad tuam soliditatem misimus, quibus adhortamur, ut sine omni diffidentia aut metu publica vehicula ascendas, et properes ad nos, ut, quae concupiscis, assequare.

Mansi 1758f, v.2 (305-346) col.1238; Migne 1844f, v.13 cols.559-560 (Monumenta vetera ad Arianorum doctrinam pertinentia).

Epistola tertia Constantii imperatoris ad Athanasium.

Cum Edessae commoraremur, praesentibus tuis presbyteris, placuit ut misso ad te presbytero, festinares ad nostrum comitatum venire: ut ubi nostrum vidisses conspectum, statim Alexandriam transires. Sed quia plurimum temporis intercessit, ex quo litteris nostris acceptis non venisti, ideo te nunc denuo admonitum volumus, ut vel nunc saltem quam celerrime ad nos te conferas, quo tu ita patriae tuae restituaris, et nos tuis frui possimus. Ad pleniorum cognitionem Achitam diaconum ad te misimus, a quo discere licebit et mentis nostrae voluntatem, et te assequi posse quae votis optas.

Mansi 1758f, v.2 (305-346) col.1242; Migne 1844f, v.13 cols.561-564 (Monumenta vetera ad Arianorum doctrinam pertinentia)

Epistola quarta eiusdem <Constantii> ad Athanasium.

Victor Constantius Augustus Athanasio salutem.

Votum meum fuisse ut omnia ex sententia fratri meo Constanti procederent, neque vel tuam conscientiam latet. In quanto autem moerore fuerim, cum didicissem eum a quibusdam impiis sublatum esse, facile iterum tua prudentia divinaverit. Caeterum quia nonnulli sunt in hoc luctuoso tempore, qui te terrere satagunt, ideo has litteras tuae firmitudini porrigendas censuimus, quibus tibi auctor sum, ut, quemadmodum episcopum decet, ea quae ad sacram religionem pertinent, populos doceas, tuisque consuetis precibus vaces, neque vanum rumorem ferentibus credas, quicumque etiam fuerint. In nostro autem animo fixum est, ut secundum nostram voluntatem perpetuo in sede tua episcopus maneat.

Divina providentia te plurimis annis conservet, parens charissime.

337 Constantius (2)

Mansi 1758f, v.2 (305-346) col.1239; Migne 1844f, v.13 cols.559-560 (Monumenta vetera ad Arianorum doctrinam pertinentia).

Epistola prima Constantii ad clericos Alexandrinos.

Victor Constantius maximus Augustus, episcopis et presbyteris catholicae ecclesiae, salutem.

Non est derelictus a dei gratia reverendissimus Athanasius, tametsi ad breve tempus humanae probationi subiectus fuerit: iustum enim debitumque iam ab omnia ferente et sustinente providentia calculum retulit, eo quod et voluntate optimi, et iudicio nostro, patriam et ecclesiam, quam antea divino nutu possedit, recipiat: ad quem congruentia enim a nostra humanitate perferri oportet: adeo ut omnia, quae antea contra eos, qui cum eo communionem celebrarunt, decreta fuere, oblivioni tradi velint; omnisque deinceps suspicio contra aboleatur; et immunitas, quam olim habuere ipsius clerici, firma illis et rata (prout decet) conservetur. Quin et hoc quoque eius gratia adiici, aequum arbitrati sumus, ut apud universos sacri ordinis viros promulgetur, cunctis qui Athanasio adhaesere datam esse securitatem, sive episcopi, sive clerici sint. Abunde enim

argumenti erit, unumquemque eorum probi animi esse, vel eo solo quod Athanasio consociati fuere. Quicumque enim meliori et iudicio et factione huius communionem elegerunt, hos omnes iussimus ad exemplar superioris providentiae, et secundum nostram voluntatem, ut gratia ab optimo deo tributa securiter perfruantur.

Deus vos servet.

Mansi 1758f, v.2 (305-346) col.1240; Migne 1844f, v.13 cols.561-562 (Monumenta vetera ad Arianorum doctrinam pertinentia.)

Epistola secunda Constantii ad clericos Alexandrinos.

Victor Constantius maximus Augustus populo Alexandriae catholicae ecclesiae, salutem.

Cum ante oculos habeamus vestram in omnibus disciplinam, et nequaquam inscii simus vos iam pridem episcopali providentia destitutos, decrevimus Athanasium episcopum, virum apud omnes rectitudine morumque probitate clarum, ad vos remittere. Hunc igitur si libenter et decenter receperitis, eumque ad deum fuis precibus opitulatorem adhibueritis, concordiam et vobis decoram et nobis gratissimam simul pacemque perpetuam et ecclesiae legem conservabitis. Absurdum enim est discordiam aut seditionem inter vos agitari, et alienum hoc ipsum est a nostrorum temporum integritate. Volumus igitur ex hoc vitium prorsus a vobis abesse, et vos in vestris precibus perpetim illo (ut dixi), praeside et opitulatore apud deum uti, et in eo studio solito more perseverari; ut tali proposito, vestro omnium ore celebrato, Gentiles, qui etiamnum idolorum erroribus inhaerent, ad sacrae religionis cognitionem promptissime decurrant.

Quapropter denuo vos admonemus, ut superioribus dictis acquiescentes, episcopum suffragio optimi, et nostra voluntate, huc remissum, libenter suscipiatis, eumque ab animis sententiisque vestris indissolubilem putetis: id enim vos decet, et nostrae mansuetudini congruum est. Ad omnem siquidem conturbationis et seditionis materiam exstirpandam, qua cupidi malorum libenter utuntur, nostris apud vos iudicibus per litteras iniunximus, ut, quotquot seditiosos invenerint, poenis suppliciisque legem coerceant. Omnia igitur ista prae oculis habentes, et nostram cum optimo deo coniunctam sententiam, curamque vestram simul et concordiae, poenamque in immodestos constitutam, congrua decentiaque sacrae religionis legibus servantes, praedictum Athanasium cum omni reverentia et honore colite, vestrasque preces cum eo et pro nostra et pro cuiusque vitae sanctitate deo omnium parenti offerte.

337 Constantius (2)

Mansi 1758f, v.2 (305-346) col.1241; Migne 1844f, v.13 cols.561-562 (Monumenta vetera ad Arianorum doctrinam pertinentia.)

Epistola eiusdem <Constantii> ad Nestorium.

Victor Constantius Augustus Nestorio, et eadem forma Augustamnicae, Thebaidis, et Africae praefectis.

Si quid unquam ad noxam contumeliamve eorum, qui Athanasio communicarunt, decretum invenitur, id omnino deleri volumus. Nam et officium quod antea habuerunt eius clerici, iterum eosdem habere volumus. Hoc enim decretum observari iubemus, ut restituto Athanasio suae ecclesiae, communicatores illius idem habeant officium quod antea possederunt, quo et ipsi se gaudeant prorsus restitutos esse.

337 Constantius (2)

Coleman-Norton no.77

Mansi 1758f, v.2 (305-346) col.1273; Migne 1844f, v.13 cols.563-564 (Monumenta vetera ad Arianorum doctrinam pertinentia.)

Epistola imperatoris Constantini iunioris ad Alexandrinos.

Constantinus Caesar populo catholicae ecclesiae Alexandrinae salutem.

Neque vestram sacram mentem latere arbitror, ideo Athanasium adorandae legis interpretem in Gallias missum esse, ne quo tempore sanguivolentorum hostium feritas sacro eius capiti quam

maxime immineret, implicitusque malorum collimitio, aliquid intolerandum, et cui remedium nullum esset, pateretur. Ad hanc igitur feritatem eludendam, tot faucibus inhiantium subtractus, ut sub me ageret iussus est. Atque ita in hac urbe commoratus est, ut omnibus rebus necessariis abundaret, tametsi eius reverenda virtus, divina ope fretus, onera asperioris fortunae vilipenderet. Iam cum imprimis vestrae in deum pietati, suisque sedibus hunc episcopum dominus noster et pater Constantinus restituere vellet, et humana sorte praeventas, antequam hoc volum impleret, requieverit; ego mihi convenire puto, ut, suscepta voluntate sacrae memoriae imperatoris, id ipsum adimpleam quod ille non potuit. Cum igitur Athanasius ad vestrum conspectum penetraverit, tunc demum intelligetis quantae apud nos reverentiae fuerit. Neque id mirum videri debet, si quid huiusmodi in eius gratiam fecerim; ad hoc enim faciendum meam mentem et vestri desiderii imago, et species tanti viri instigavit.

Divina providentia vos servet, dilecti fratres.

Datum Treveris xv kalendas Iulias. <16.Jun.337>

342 Constans - Constantius (2)

Mommsen 1890, pp.25-28 (Fragmenta Vaticana 35); Hänel 1857, no.1066 p.186.

Excerpt in Cod.Theod.3.1.2 (4.Feb.337)

Aug. et caes.

Nulla verecundiae vel quietis mora vel quolibet intervallo cunctandi passim, nunc singuli, modo populi, proruentes nostros in obtutus sic uniformes querelas iisdem fere sermocinationibus volutarunt, ut nec interpellantium credulitati valeret occurri, nec allegationum qualitas disparari, parens carissime atque amantissime *nobis*. Pari siquidem exemplo vociferationibus consertis, multitudines memorarunt non iuste res suas esse divenditas; aliis possidentibus se fiscalia luere: frequenti denique obsecratione delata remedium cupiverunt.

His sumus valde permoti, verentes ne alicuius calliditatibus *aversabili* emolumento persuasi res suas venderent sine censu, ac post subsidia nostrae mansuetudinis precarentur; itaque versutis calliditatis commenta miscentibus, dum *insidiarum* fallentium non suspicamur arcana, pro innocentiae nostrae natura ceteros aestimantes, detrimento census nocentes levaremus.

Has fraudes, hos dolos, istas argutias lege prohibemus, constitutione secludimus: et idcirco iustae providentiae consulta deliberatione sancimus, ut omnino qui comparat rei comparatae ius cognoscat et censum, neque liceat alicui rem sine censu vel comparare vel vendere. Inspectio autem publica vel fiscalis esse debet hac lege, ut si aliquid sine censu venierit, et post ab aliquo deferetur, venditor quidem possessionem, comparator vero id quod dedit pretium fisco vindicante deperdat. [*Idem a. ad Gregorium. pr. Qui comparat, censum rei comparatae cognoscat: neque liceat alicui, rem sine censu vel comparare vel vendere. Inspectio autem publica vel fiscalis esse debet hac lege, ut, si aliquid sine censu venierit, et id ab alio deferetur, venditor quidem possessionem, comparator vero id, quod dedit pretium, fisco vindicante, perdat. 3.1.2*]

Id etiam volumus omnibus intimari nostrae clementiae placuisse neminem debere ad venditionem rei cuiuslibet effectare et accedere, nisi eo tempore, quo inter venditorem et emptorem contractus sollemniter explicatur, certa et vera proprietas vicinis praesentibus demonstretur; usque eo legis istius cautione currente, ut etiamsi subsellia vel ut vulgo aiunt scamna vendantur, ostendendae proprietatis probatio compleatur. [*Id etiam placuit, neminem ad venditionem rei cuiuslibet accedere, nisi eo tempore, quo inter venditorem et emptorem contractus sollemniter explicatur, certa et vera proprietas a vicinis demonstretur; usque eo legis istius cautione currente, ut, etiamsi subsellia vel, ut vulgo aiunt, scamna vendantur, ostendendae proprietatis probatio compleatur. 3.1.2*]

Hinc etenim iurgia multa nascuntur; hinc proprietatis iura temerantur hinc dominiis vetustissimis molestia comparatur, cum caecitate praepropera et rei inquisitione neglecta, luce veritatis omissa nec perpetuitate cogitata dominii, iuris ratione postposita, ad rei comparisonem accedunt, omissis omnibus dissimulatis atque neglectis, id properant atque festinant, ut quoque modo cuniculis nescio quibus inter emptorem et venditorem sollemnia celebrentur: cum longe sit melius, sicuti diximus, ut luce veritatis fidei testimonio, publica voce, sub clamationibus populi idoneus venditor adprobetur, quo sic felix comparator atque securus aevo diuturno persistat. [*Nec*

inter emptorem et venditorem solennia in exquisitis cuniculis celebrentur, sed fraudulenta venditio penitus sepulta depereat. 3.1.2] Quod pro quiete totius successionis eloquimur, ne forte aliquis venditor suum esse dicat, quod esse constat alienum, *idque* comparator malo venditore deterior incautus et credulus, cum testificantibus vicinis omnia debeat quaerere, ab universorum disquisitione dissimulet; quem sic oporteat agere, ut nec illud debeat requiri, quod ex iure dicitur: 'si a domino res vendita sit'.

Ita ergo venditionum omnium est tractanda sollemnitas, ut fallax illa et fraudulenta venditio penitus sepulta depereat. Cui legi deinceps cuncti parere debebunt, ut omnia diligenti circumspectione quaesita per universas successiones tuto decurrant neque aliquem ex improvidentia casum malignae captionis horrescant.

Dat. IIII. kal. Sept. a praefecto <praetorio> ad correctorem Piceni Aquileia. <30.Aug.342>

Accepta XIII. kal. Oct. Albae Constantino aug. III. cons. <18.Sep.342>

355 Constantius (2)

Coleman-Norton no.93

Mansi 1758f, v.3 (347-409) col.238; Migne 1844f, v.13 cols.564-565.

Constantius victor ac triumphator semper Augustus Eusebio episcopo.

Metiri facile posse, rei magnitudine commonente, gravitatem tuam, omnibus ad meam diligentiam pertinentibus praeferre me coram religione superna, quod praecellit, et in meo animo praeminere confido, tamen id prudentiae tuae, documentis etiam frequenter emissis, compertum, cum perspicias, id me agere noctibus ac diebus, quod ad venerabilem cultum proficere posse confido. Quid enim mihi gratius esse aut utilius, quam deo animum devovisse: usque adeo, ut huiusmodi studio facilitatem omnem sentiam esse obnoxiam? Itaque ecclesias venerabiles ex intimo mentis affectu semper intueor, earumque unitatem omnibus salutarem cupio recuperare ac firmiter obtinere:

ob quam causam conventum sanctorum episcoporum in Mediolanensi placuit fieri civitate, eos vel maxime qui alibi gesta possint facile revelare, in diversis quippe provinciis episcoporum sunt coacta concilia: sed quid per singulos concordia unanimitate decreverunt prudentissimi episcopi, in synodo Mediolanensi perspicue declaratum est.

Denique venientes pauci de provinciis singulis voluntate communi unanimes protulerunt, et iuxta venerationem legi debitam firmaverunt. Quod ergo religioni fuerat consentaneum, eorumdem placito corroboratum est; ut ad sanctitatem tuam quatuor de consortio suo censuerint esse mittendos, pariter commonentes se id sequi gravitatem tuam, quod ad utilitatem ecclesiae non abhorret. Nos certe qui esse dei famulos gloriamur, hortamur pariter ac monemus, ut consensui fratrum tuorum adhaerere non differas. Confidimus quippe, cum hoc fuerit factum, unitate firmissima posse ecclesias gratulari.

Deus te semper tueatur multos annos, frater carissime atque amantissime.

359 Constantius (2)

Ammianus Marcellinus (17.5.10-14).

Victor terra marique Constantius semper Augustus fratri meo Saporis regi salutem plurimam dico. Sospitati quidem tuae gratulor ut futurus, si velis, amicus, cupiditatem vero semper indeflexam fusiusque vagantem vehementer insimulo.

Mesopotamiam poscis ut tuam perindeque Armeniam et suades integro corpori adimere membra quaedam, ut salus eius deinceps locetur in solido, quod infringendum est potius quam ulla consensione firmandum. accipe igitur veritatem non obiectam praestigiis sed perspicuam nullisque minis inanibus perterrendam.

Praefectus praetorio meus opinatus adgredi negotium publicae utilitati conducens cum duce tuo per quosdam ignobiles, me inconsulto, sermones conservit super pace. non refutamus hanc nec repellimus: adsit modo cum decore et honestate nihil pudori nostro pra ereptura vel maiestati.

Est enim absonum et insipiens cum gestarum rerum ordine placatae sint aurae invidiae, quae nobis multipliciter inluserunt, cum deletis tyrannis totus orbis Romanus nobis obtemperat, ea prodere, quae contrusi in orientales angustias diu servavimus inlibata.

Cessent autem quaeso formidines quae nobis intentantur ex more, eum ambigi nequeat non inertia nos sed modestia pugnas interdum excepisse potius quam intulisse et nostra, quotiens lacessimur, fortissimo benevolentiae spiritu defensare, id experiendo legendoque scientes in proeliis quibusdam raro rem titubasse Romanam, in summa vero bellorum numquam ad deteriora prolapsam.

359 Constantius (2)

Coleman-Norton no.104

Feder 1916, pp.93-94 (Hilarius Pictaviensis: Collectanea Antiariana Parisina).

The three copies: Mansi 1758f, v.3 (347-409) col.297, Migne 1844f, v.10, cols.695-696 and Migne 1844f, v.13 cols.565-566 (Monumenta vetera ad Arianorum doctrinam pertinentia) are all dated VI. kalend. Iunias.

Victor Constantius Maximus triumphator semper Augustus episcopis <qui in Ariminensi concilio convenerunt>.

Continent priora statuta <alt: instituta>, venerabiles, sanctimoniam legis rebus ecclesiasticis niti. satis superque perspeximus litteris ad nostram prudentiam datis isdem oportere operam dare, cum profecto et episcoporum id officio congruat et salus omnium longe lateque populorum hoc fundamine roboretur. sed res admonuit statuta rursus existere. non enim aliquis definita geminari superfluum iudicabit, cum crebra consueverit admonitio augere cumulum diligentiae. his ita se habentibus de fide atque unitate tractari debere cognoscat sinceritas vestra et operam dari, ut ecclesiasticis rebus ordo competens praebetur. discurrat namque cunctorum prosperitas ubique populorum et concordia fida servabitur, cum penitus amputatis de huiusmodi quaestionibus cunctis sectanda commoverit.

Res ista non debet intentionem animi longius propagare; non enim de orientalibus episcopis in concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. proinde super his tantum, quae ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debetis et completis celeriter universis consentiente consensu decem mittere ad comitatum meum, ut prudentiae vestrae prioribus litteris intimavimus. praedicti enim poterunt omnibus, quae eisdem orientales proposuerint, respondere vel tractare de fide; ut exitu competenti omnis quaestio terminetur et ambiguitas sopiatur. quae cum ita sint, adversus orientales nihil statuere vos oportet. aut si aliquid volueritis contra eosdem praedictis absentibus definire, id quod fuerit usurpatum, inrito evanescet effectum. non enim ulla vires habere poterit definitio, cui nostra statuta testantur iam nunc robor et copiam denegari. quae cum ita sint, moderatione religionis venerabiles antistitibus consentanea debetis veneranda perficere, ut id, quod religio postulat, explicetur et, quod audiri prohibet ratio, nullus usurpet.

Divinitas uos servet per multos annos, parentes.

Explicit. Datum V. Kal. Iunias Eusebio et Ypatio cons. <28.May 359>

359 Constantius (2)

Mansi 1758f, v.3 (347-409) col.307; Migne 1844f, v.13 cols.569-570 (Monumenta vetera ad Arianorum doctrinam pertinentia).

Constantius victor et triumphator Augustus, omnibus episcopis, qui sunt Arimini coacti salutem. Quamquam vestrae sanctitati minime obscurum est, nos maximam curam divinae et venerandae religionis Christi semper habuisse: tamen viginti episcopos, quos vestra prudentia ad legationem vestram obeundam misistis, hoc tempore ad nostrum conspectum admittendi, otium non erat: nam expeditio, quam contra barbaros in praesentia suscipimus, nos districtos tenet: et par est (uti nostis) ut ei, qui sit sacrosanctae religionis negotia tractaturus, animus ab omni cura et perturbatione liber sit. Proinde episcopis mandavimus, ut Hadrianopoli nostrum reditum expectent: uti, cum ea quae ad rempublicam pertinent, rite procurata fuerint; illa deinceps, quae sint nobis proposituri, diligenter audire expendereque possimus. Vestrae autem gravitati interea

ne molestum sit eorum reversionem expectare; ut cum redierint, nostraque retulerint ad vos responsa, illa quae sint ex usu ecclesiae catholicae futura, possitis ad exitum perducere.

361-363 Iulianus

Johnson no.307

Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: CIL 08, 17896 = Tyche-2007-151 = AE 1948, +00118 = AE 1949, 00133 = AE 1956, 00134 = AE 1978, +00892.

Mommsen 1904, T., *Observationes epigraphicae XL: Ordo salutationis sportularumque sub imp. Iuliano in provincia Numidia (Gesammelte Schriften vol.8)* (Berlin, Weidmann, 1913) pp. 474-499.

Ex au[ctori]tate Ulpi Marisciani v(iri) c(larissimi) consularis <provinciae Numidiae - CIL 08, 04771 = CIL 08, 18684> sexfascalis promoti primo a domino nostro Invicto principe Iuliano ordo salutationis factus et ita a<d=T> perpetui[t]atis memoriam aere incisus primo senatores et comites et ex comitibus et admin[ist]ratores secundo princeps cornic[ul]ar[ius pa]latini ter[t]io coronati [provi]nc[iae quart]o promoti officiales [et magistra]tus cum ordine [qui]nt[o]fficiales ex ordine item qua[n]t[a com]moda consequi debeat princeps ad off[icia]lem intra civitatem dandum Italic[os] tritici modios quinque aut pretium frumenti intra p[r]imum modios septem aut pretium modiorum septem etiam per dena milia bini modii vel eorum praetia(!) subcrescant s<i=T> mitte[n]dus sit trans mare centum modi(i) vel modiorum centum pr{a}etium sufficiet cornicularius et co<m=N>mentariensis medietatem huius summae commodi nomine consequentur sc(h)olastici in postulatione simplici quinque modios trit{t}ici vel quinque modiorum pr{a}etia(!) consequentur in contradictione decem modios tritici vel decem modiorum pr{a}etium consequantur in urgente qui(!) finienda sit quindecim(m) modios vel quindecim(m) modiorum pr{a}etia(!) consequantur exceptores in postulatione quinque modios tritici vel quinque modiorum pr{a}etium consequantur in contradictione duodecim(m) m[o]dios tritici vel duodecim(m) modiorum pr{a}etium consequantur in definita causa viginti modios trit{t}ici vel viginti modiorum pr{a}etia(!) consequantur c(h)arta in postulatione sing[ul]i num]mi sufficiunt maiores in contradictionibus quaternos maiores in definito negotio numquam amplius quam sex a litigatore exigere oportebit libellensis in libello uno duos modios tritici vel duorum modiorum pretium debeat accipere officialis missus intra civitate(m) duos modios trit{t}ici vel duorum modiorum pretium consequatur

362 Iulianus

Johnson no.309

Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: CIL 03, 00459 (p 982) = CIL 03, 14199,02 = AE 2000, 01370a; Hänel 1857, no.1115 p.212.

Excerpt in Cod.Theod.1.16.8 (28.Jul.362)

Exemplum sacrarum litterarum.

Oboriri solent nonnullae controversiae, quae notio ne inquirantur et examine iudicis celsioris. tum autem quaedam negotia sunt, in quibus superfluum sit, moderatorem exspectare provinciae. quod nobis utrumque pendentibus rectum admodum visum est, ut pedaneos iudices id est eos, qui negotia humilia disceptent, constituendi daremus praesidibus potestatem. [*Quaedam sunt negotia, in quibus superfluum est moderatorem exspectari provinciae: ideoque pedaneos iudices, hoc est qui negotia humiliora disceptent, constituendi damus praesidibus potestatem. 1.16.8*] ita enim et sibi partem curarum ipsi deminuent et tamen nihilominus quasi isti hoc munus administrabunt, quum illi quos legere administrent Cuius rei constituendae munus ad tua eminentiae spectat curam. ad excellentiam tuam igitur mittimus per eundem ...

?362 Iulianus

Coleman-Norton no.120

Petschenig 1909, p.142 (Augustinus, Contra litteras Petilian, 2.97.224); Migne 1844f, v.11, col.1179.

quod Iulianus constituit dicens:

hoc quoque supplicantibus Rogatiano, Pontio, Cassiano et ceteris episcopis, sed et clericis, accedit ad cumulum, ut abolitis, quae adversus eos sine rescripto perperam gesta sunt, in antiquum statum cuncta revocentur. <362>

<The rescript of Iulianus, from which Augustinus quoted, was apparently referred to by Honorius in Cod.Theod.16.5.37 dated 400, but probably 405>

364 Valentinianus (1) - Valens

Krueger 1890, p.218 (Consultatio veteris iurisconsulti, 9.6); Hänel 1857, no.1118 pp.221-222.

Impp. Valens et Valentinianus AA. Ampeliae.

Ea, quae heredes inter se transactione interposita composuerint, firma illibataque perseverabunt. Et ideo secundum fidem instrumenti competens tibi portio a possessoribus cum fructibus restituatur per virum clarissimum proconsularem Africae amicum nostrum, fide gestorum diligenti examinatione comprobata.

Dat. III. Non. Iul. Sirmio, divo Ioviano et Varroniano cons. <5.Jul.364>

364-367 Valentinianus (1) - Valens

Price & Gaddis v.3 pp.30-31

Hänel 1857, no.1117 pp.220-221; Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.309-310 (referred to on 30.Oct.451 at the council of Chalcedon).

Imperatores Caesares Flavius Valentinianus et Valens, pii, felices, Augusti, perpetui victores, salutem dicunt Nicaenis.

Licet studium nostrum ex illo manifestum atque clarum sit cunctis, ex quo regni sublimitatem et publicam gubernationem dei voluntate suscepimus; verumtamen et super principatum huius felicitatis adiicimus, quoniam vestra civitas sub initium completa gaudio, et exultans super nostra felicitate, gratiae atque laetitiae omni populo causa facta est. Propterea licet metropolitana olim est nominata, et hoc leges antiquae continent, tamen legem nobis proferentibus, nulla dubitatio esse poterit, eo quod haec immota et firma permaneant, et temporibus futuris augenda: et de cetero hunc etiam in vestra civitate exornantes, procedere sancivimus. Permaneat igitur in perpetuum ista consuetudo, et civitas vestra sit metropolitana, consuetudine tamen in processu Bithyniae iudicis permanente. Nullus enim aufert aliquid aliorum. Ergo voluntate dei vestrae civitatis dignitas augeatur. Gaudentes itaque, orationes vestras duplicate: et laetamini in his, in quibus hic vobis praebetur honor, omni dubietate in futurum vacante; conspicientes quemadmodum perpetuam pacem et providentiam ex nostris sanctionibus impetrastis.

364-367 Valentinianus (1) - Valens

Price & Gaddis v.3 p.31

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.311-312 (referred to on 30.Oct.451 at the council of Chalcedon)

Valentinianus pius, felix Augustus, Nicomediensibus salutem.

Circa privilegia civitatis vestrae, quae olim fuerint, prisca consuetudo servabitur. Neque enim honoris adiecto Nicaenorum civitatis ius vestrum laedere poterit, cum augeatur dignitas Nicomediensium civitatis, quando illa quae secundo loco est, metropolis nomine vocatur.

365 Valentinianus (1) - Valens

Krueger 1890, p.217 (Consultatio veteris iurisconsulti, 9.2); Hänel 1857, no.1118 pp.221-222.

Iidem AA. Pompeio Favonio.

Hereditatem, quam tibi competere iure confirmas, negotii merito discusso, approbatis allegationibus restituatur legum fonte demanans sententia iudicantis, remota videlicet pactione, quam dolo patuerit elicitam.

Dat. VIII. Id. Febr. <6.Feb.365>

Alleg. Non. Kal. April. in basilica Thermanum Commodianarum ipsis AA. cons. <24.Mar.365>

365 Valentinianus (1) - Valens

Krueger 1890, p.217 (Consultatio veteris iurisconsulti, 9.3); Hänel 1857, no.1118 pp.221-222.

Iidem AA. Mamertino praefecto praetorio.

(inter cet. et ad locum:) Pacta quidem per vim et metum apud omnes satis constat cassata viribus esse respuenda.

Dat. XII. Kal. April. ipsis AA. cons. <21.Mar.365>

365 Valentinianus (1) - Valens

Krueger 1890, p.218 (Consultatio veteris iurisconsulti, 9.4); Hänel 1857, no.1118 pp.221-222.

Iidem AA. ad Valentinianum consularem Piceni.

Non dubium est, eum a fide placiti recessisse, qui quae promiserat implere noluit, Valentiniane carissime. Proinde si adversario supersedente cominus explicare ea quae sponderat, fides placiti vacillat, familiares litterae, quas ad se missas dicit, supplici Exoperio non oberunt. Fines etiam, quos temeratos adseverat, amota praescriptione temporis hi qui pervaserunt, ut ratio iuris est, redhibere cogantur.

Alleg. III. Kal. Mai. Flavia Fanestri in secretario ipsis AA. cons. <28.Apr.365>

365 Valentinianus (1) - Valens

Krueger 1890, pp.218-19 (Consultatio veteris iurisconsulti, 9.7); Hänel 1857, no.1118 pp.221-222.

Imp. Valentinianus et Valens AA. Felici consulari Macedoniae.

(inter cetera et ad locum:) Si servilibus contuberniis sese mulieres quondam ingenuae subdiderint, et nunc contemnes dominum minoris aetatis servitutis iugum conantur effugere, gravitas tua his, qui servilem condicionem non statim in ipsis coniunctionum primordiis refugerunt, necessitatem subeundae servitutis imponat.

Dat. XIII. Kal. Aug. Mediolani, ipsis AA. cons. <19.Jul.365>

365 Valentinianus (1) - Valens

Krueger 1890, p.218 (Consultatio veteris iurisconsulti, 9.5); Hänel 1857, no.1118 pp.221-222.

Iidem AA. Aeliae Bavoniae.

Lites trahi et sub quodam potentiae terrore infimos fatigari iudiciorum expectat invidia. Unde si adversarium tuum longe a filii tui successione positum haec in te, quae precibus texuisti, excogitasse constiterit, rector provinciae hominis, qui nec paciscendi, nec conloquendi de negotio substantiam habuit, impudentiam submoveat, reddique faciat quidquid claruerit usurpatum: nec impudentia vindicet, quod concedere leges et iura non possunt: maxime cum memores nec a prima pactione, quae substantiam non habebat, secunda conventionione discessum, sed etiam inaniter resedis, quod non iam pactio, sed quaedam usurpaticiis non subsistentibus causis immoderatio doceatur.

Dat. III. Kal. Aug. Mediolani, ipsis AA. cons. <30.Jul.365>

365 Valentinianus (1) - Valens

Krueger 1890, p.217 (Consultatio veteris iurisconsulti, 9.1); Hänel 1857, no.1118 pp.221-222.

Imp. Valens et Valentinianus AA. ad Volusianum praefectum urbis.

Post sententiam pacisci non licere iuris ordine praecavetur. Unde quum supplicans inique se oppressam et post sententiam sacri auditorii depactum esse commemorat, Volusiane parens karissime atque amantissime, amota poena, quam pacto contra ius facto serenitas tua inesse praeviderit, legum auxilio consulat supplicanti.

Dat. III. Id. Aug. Mediolani. <10.Aug.365>

365 Valentinianus (1) - Valens

Mansi 1758f, v.3 (347-409) cols.389-392.

Imperatores maximi semper Augustus, victores Valens et Valentinianus, episcopis dioecesis Asianae, Phrygiae, Carophrygiae, Pacatiana, in domino salutem.

Ubi frequenti in concilio Illyrico concilio multum in utramque partem de salutari dei verbo disceptatum erat, beatissimi episcopi trinitatem consubstantialem esse, hoc est, patrem, et filium, et spiritum sanctum, certis rationibus ostenderunt. A qua fide ne digitum quidem (ut aiunt) deflectentes, debito cultu religionem praepotentis regis prosequuntur: quam etiam nostra celsitudo passim praedicari mandavit.

Attamen non est haec causa, cur quidam dicant se religionem sequi imperatoris, qui hunc mundum gubernat, neglecto scilicet illius mandato, qui nobis de salute nostra praecepta dat. Est enim praeceptum evangelii dei nostri, qui hanc habet velut ratam definitamque sententiam: Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt dei deo. <Marc.12; Luc.10> Quid ergo vos dicitis episcopi, et verbi salutaris antistites? Quod si vos eadem decernatis, tum certe mutuo vos ipsi complectimini, et imperatoria celsitudine nolite abuti. Nolite persequi veros dei ministros, quorum precibus et bella sedantur in terra, et incursiones angelorum, qui a deo desciverunt, arcentur: qui etiam orando peliseros daemones repellere nituntur; qui vectigalia, uti leges postulant, pensitare non recusant; qui potestati imperatoriae non refragantur, sed sancte et sincere tum mandatum praepotentis regis dei observant, tum nostris legibus obsequuntur. At constat, vos obstinate his rebus restitisse.

Nos patientia semper a principio usque ad finem usi sumus; vos contra animi vestri impotentiae obsecuti estis. Sed nos a vestra culpa volumus esse vacui et puri, non aliter atque Pilatus, qui, cum de Christo iam tum inter nos vitam agente haberetur quaestio, noluit eum interficere; et rogatus a Iudaeis ut cruci affigeretur, se convertere ad orientem, petere aquam manibus, easque lavare coepit, simul haec locutus: Innocens sum a sanguine iusti huius. <Matth.27> Ob quam causam nostra celsitudo semper istud imperavit: Ne quis quem submergat, vocetve in invidiam Christi agricolas: Neve procuratores summi regis exagitet; ne regnantibus non nobis, nihil hinc emolumenti consecuti, postea una cum sceleris exhortatore, in ea quae testamenti ipsius sunt, damna incurratis: id quod in Zachariae sanguine eveniebat. Nam funesti illi, perinde ac pestifer daemon, qui caedis illius socius erat, mortis supplicio traditi, adveniente caelitus rege nostro Iesu Christo, disrupti perierunt.

Istud mandatum dedimus praesentibus, audientibusque ea quae facta sunt, Amegetio, Ceronio, Damaso, Lampone, et Brintesio. Porro ipsa facta ad vos misimus, ut intelligatis quae hoc praeclarum concilium decreverit. Nam his litteris attexuimus decreta concilii, quae summam complectuntur ista.

Sententiam magni et orthodoxi concilii Nicaeni sequentes, confitemur filium patri consubstantialem esse. Neque certe ita intelligimus consubstantialem, ut quidam olim exponebant, qui non sincere et ex animo concilio Nicaeno subscripserunt, Neque ut alii, qui hoc tempore illos appellant patres, et vim huius verbi, consubstantialis, tollunt; sequunturque opinionem eorum qui tradiderunt, per hanc vocem, consubstantialem, nihil aliud significari, quam similem: per quam vocem filius nulli creaturae per ipsum conditae, sed soli patri similis ostenditur. Qui ipsa tradunt, filium dei nihil aliud quam creaturam eximiam esse impie plane definiunt. Nos autem non aliter sentimus, atque duo concilia, quorum alterum iam Romae, alterum habetur in Gallia: Nimirum unam eandemque essentiam esse patris et filii et spiritus sancti in tribus personis, hoc est, in tribus perfectis, ut Graeci loquuntur, *hypostasis*. Confitemur item (ut est in fidei formula Nicaeae edita) consubstantialem dei patris filium sumpsisse carnem ex sancta virgine, inter homines habitasse, implevisseque omnem pro nobis oeconomiam, nascendo, patiendo, resurgendo, et in caelos ascendendo. venturum quoque denuo, ut in die iudicii, prout, quisque se gessit in vita, reddat cuique, carni universae visum fore: divinam suam demonstraturum potentiam; deum carne indutum, non hominem indutum divinitate. Illis autem qui contraria sentiunt, anathema denunciamus, Pari ratione his, qui non ingenue dicunt anathema ei qui asserit filium non ante fuisse quam nasceretur, sed tradit eum vi et facultate prius in patre fuisse, quam re ipsa genitus esset, anathema denunciamus. Nam istud dici potest de omnibus creaturis, quae non semper cum deo sunt, sicut filius semper cum patre est, aeterna generatione genitus.

367 Valentinianus (1) - Valens

Coleman-Norton no.137

Günther 1895, pp.48 (Collectio Avellana, no.5); Hänel 1857, no.1121 p.223.

Valentinianus Praetextato

Have Praetextate karissime nobis.

Licet iusta videatur fuisse vindicta, quae illic turbulenter exercitam factionem coercitione sedavit, ubi maxime debet esse concordia, scilicet in ecclesiae vel sede vel causa, quarum rerum utraque et modestiam poscit et cultum: tamen nos omnes, qui nuper propter illum tumultum deportatione damnati sunt, et propriae lenitate naturae et ipsius religionis ac legis contemplatione miseremur, Praetextate karissime et iocundissime.

Cunctos igitur, qui sunt eius sortis et culpa, praecelsa sublimitas tua nostri auctoritate iudicii liberabit. Hanc vero formam tenebit in posterum, ut si idem pristino statui restituti aliquid spiritu iterum gesserint inquieto, quo tranquillitas reformata turbetur, severissima in eos sententia proferatur. Nullam enim possunt veniam promereri, qui non desinunt peccare post veniam.

?367 Valentinianus (1) - Valens

Migne 1844f, v.16, col.1045 (Ambrosius, Epistola 21).

Clementissimo imperatori, et beatissimo Augusto Valentiniano, Ambrosius episcopus.

[...] Nec quisquam contumacem iudicare me debet, cum hoc asseram, quod augustae memoriae pater tuus <Valentinianus (1)> non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit:

In causa fidei vel ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis;

haec enim verba rescripti sunt, hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam si alias quoque argueretur episcopus, et morum esset examinanda causa, etiam haec voluit ad episcopale iudicium pertinere. <386>

367-368 Valentinianus (1) - Valens - Gratianus

Coleman-Norton no.138

Günther 1895, pp.49 (Collectio Avellana, no.6); Hänel 1857, no.1121 p.223 (Chalcedon, Oct.451)

Valentinianus Valens et Gratianus Praetextato.

Dissensionis auctore sublato omnis causa discordiae sopienda est, ne aliqua manente materia, nihil prosit e medio sustulisse fomitem iurgiorum, Praetextate parens karissime atque amantissime.

Quam ob rem praecelsa sublimitas tua, defensorum ecclesiae urbis Romae sive Damasi sacrae legis antistitis petitione perspecta, qua una tantum ex ecclesiis ex catholicae religionis obsequio a dissentientibus adhuc dicitur retentari; quoniam pro publica securitate metuendum est, ne aliqui hinc iterum tumultus oriatur, quandoquidem non parva sit separationis effigies, si ita aliquid putetur obclusum Damaso eam iubebit aperiri; ut singuli universique cognoscant, quo unitas studio colenda, qua omnibus pace vivendum; cum ecclesiis restitutis plenissimam postulet congregatio ubique permissa concordiam.

?367-375 Valentinianus (1) - Valens - Gratianus

Coleman-Norton no.139

Epigraphik-Datenbank Claus / Slaby: CIL 06, 31982 (p 4799) = ICUR-02, 04099 = ILCV 00014.

[Impp(eratores) Caess(ares) FFll(avi) Valentinianus Valens et Gratianus PPP(iii) FFF(elices) se]mper Auggg(usti) Fl(avio) Eutherio suo salute[m]/

[sepulcrorum aeterna custodia quae commodo 3]L praecipuo cunctorum plane est tenenda consensu / [generis humani a nobis expeditur neque ritui div]ino fas ducimus vel cultibus ut ulla depereat praeroga/[tiva quam ob rem ne liceret defunctorum] inludere adque insultare reliquiis praedium pro / [sepultura dantem destinavisse id faciendis in loco] eo sacris certum est ministeriis adque mysteriis / [religiose celebrandis ut ibi arcentia aratrum fin]ium saepta consurgerent verum etiam pauperum / [corpora passim in id reciperentur quapropter] hoc iugiter divina communiter adque humana / [iura cum requirant ne si quos postea in praedio] eodem constituta possessio experiatur emptores / [3 proprietatis aeternitatem causa]mque perpetuam

praeter venerabiles cultus ulla / [interpretatio conturbet monumentorum autem finib]us
muniendis fides adque reverentia perennis / [3 ut maneat defensa sacrorum m]aiestate perpetua
certum est esse venerabilem / [cultum servandum et finium quoqu]e custodiam
data die pridie Kal(endas) Maias / [3 v]v(iris) cc(larissimis) cons(ulibus) / pr<e=O>sb(iter?)
<30.Apr.>

368 Valentinianus (1) - Valens - Gratianus

Coleman-Norton no.140

Günther 1895, pp.49-50 (Collectio Avellana, no.7); Hänel 1857, no.1121 p.223.

Idem Augusti <Valentinianus, Valens et Gratianus> Praetextato praefecto urbis.

Ea nobis est innata moderatio, ut publicam disciplinam sine cuiusquam calamitate munire cupiamus. Itaque quoniam animadversionum occasionibus non favemus, Ursini sociis ac ministris, quos praecelsa sublimitas tua propter quietem urbis aeternae de medio putavit esse tollendos, Roma tantum, cuius tranquillitati studetur, excepta, ubicunque maluerint absque aliqua religionis iniuria, ut peregrinari potius quam exulari videantur, proprio liceat iure versari, Praetextate parens karissime atque amantissime. Neque enim interest nostra, quem habitationis elegant locum, dummodo incentivis dissensionis ablatis firma sit rursus in plebe concordia.

Data pridie Idus Ianuar. Triv. AA. II. Cons. <12.Jan.368>

368 Valentinianus (1) - Valens - Gratianus

Coleman-Norton no.141

Günther 1895, pp.51-52 (Collectio Avellana, no.10).

Idem Augusti <Valentinianus, Valens et Gratianus> ad Olybrium praefectum urbis.

Cum nihil possit esse iocundius vel abundantia vel quiete ac summa felicitas sit, quotiens duo ista iunguntur, procul dubio sublimitas tua perspicit, quam gratae nobis litterae tuae fuerint, cum et eos esse compressos, qui sanctissimam legem tumultu et seditione miscuerant, et annonam communis omnium patriae paulatim in statum pristinum redire coepisse testatae sunt. Sed haec propemodum non stupemus in noto; talem enim te futurum esse praesumpsimus, cum detulerimus tuis meritis praefecturam, qualem statim in administrationis exordiis invenimus.

Denique non monemus, ut illustris auctoritas tua eandem efficaciam devotionemque custodiens penitus statum plebis vel reformatione pristinae disciplinae vel necessariorum provisionibus commodorum et modestiae gloria et bonis securitatis accumularet, Olybri parens karissime atque amantissime: proprio quippe cura ingenio; satis est, ut inceptis posteriora respondeant. neque ita origines criminum metiaris, ut mansuetudinem nostram de correctionibus singulorum aestimes consulendam, cum omnia, ex quibus aliqua potent esse confusio, sponte praevenias ac sic sollicite verecundeque compescas, ut nobis non tam incitandi necessitas relinquatur quam gratia comprobandi.

368 Valentinianus (1) - Valens - Gratianus

Coleman-Norton no.142

Günther 1895, p.50 (Collectio Avellana, no.8).

Idem Augusti <Valentinianus, Valens et Gratianus> Olybri praefecto urbis.

Tu quidem, sicut proximis litteris indicasti, enixissimo studio praestare voluisti, ut nulla in urbe Roma possit esse discordia Christianorumque populus profunda in otio securitate gaudere. sed quantum Aginatii clarissimi viri vicariae praefecturae scripta testata sunt, adhuc aliquantos placata miscere delectat extramuranisque conventibus frequens strepitus excitatur, Olybri parens karissime atque amantissime.

Quam ob rem egregia sublimitas tua istius auctoritate praeceptionis et patriae praestet et legi, ut populo dissenentiti nulla intra vicesimum lapidem vel religio ad coeundum possit esse vel copia, ut, si cessare non vult, migret, ut iussum est, insana collectio. Ita demum enim tumultibus cunctis procul longeque summotis certa pax plebi in aevum omne tribuetur.

368 Valentinianus (1) - Valens - Gratianus

Coleman-Norton no.143

Günther 1895, pp.50-51 (Collectio Avellana, no.9).

Idem Augusti <Valentinianus, Valens et Gratianus> ad Aginatium vicarium.

Omnem his dissensionibus causam, quae, ut prudentia <tua> scripsit, sacratissimam urbem Christianorum populo fluctuante confundunt, auferre cupientes iubemus his litteris, ut ab his, quos iuvat turbulenter seiunctio, nullus intra uicesimum lapidem conventus habeatur, Aginati karissime ac iocundissime. I

taque spectata sinceritas tua admodum salutare praeceptum et quod nullum interpretationibus locum ex aliquo relinquat ambiguo, his animis exequatur, quos paci tranquillitatisque reparandae et iudex debet et civis. Habes et urbanae in hoc auxilium praefecturae; nam etiam Olybrium clarissimum atque illustrem virum pari serenitas nostra convenit arbitrio in factiosorum impios coetus, ut termino, qui evidenter est limitatus, excluderet, quo nec in vicino quidem exoreretur id motus, quod in urbe non esset. Et facile praestabitis duo, quod singuli praestare possitis.

369 Valentinianus (1) - Valens - Gratianus

Mommsen 1890, p.28-29 (Fragmenta Vaticana, 37); Hänel 1857, no.1122 pp.224.

Excerpt in Cod.Theod.10.17.1 = Cod.Iust.10.3.5

1. videlicet iactando numquam ... fiduciam sibi esse servatam ... obnoxia comparator accedi ... num, proinde posthac saltim ... fraudesque talia dissemina.... centur nullus aditus fictis c... dolis relinquatur ingenui... ad provincialium preces dudum est constitutum...

2. satisfacere vel nollent pub... summa re levaret. iam nunc i... *constituimus* perspicue lege sancire, ut quaecumq[ue pro reliquis in annonario titulo ceterisve] fiscalibus debitis luxu ac nequitia perditorum hominum [prodigorum]que in fundis atque mancipiis vel in quibus[umque corporibus sub auctione licitanda sunt, fisco] auctore vendantur et ut perpetuo penes eos sint iure dominii, quibus res huius[emodi] sub hastae sollemni[s] arbitrio fisco addixerit... in iis utitur venditoris quae ob d... gi vel permissu iudicum *distrahuntur*.... emolumenta malle quam debita n... penes perditos maneant sib... nere contractuum tergiversatio nu... interpretationis insidias pertimes... talis accesserit ignavorum..

3. [si quid] umquam, quo fisco facta venditio [possit infringi, auctoritate rescripti fuerit impetratum], iis quae contra utilitatem provisionis *huius rescripta sunt*, [nullus obtemperet] magisque obreptivi praerogatu... *tale rescriptum repellatur*.

[Quaecumque pro reliquis prodigorum in annonario titulo ceterisve fiscalibus debitis in quibuscumque corporibus sub auctione licitanda sunt, fisco auctore vendantur, ut perpetuo penes eos sint iure dominii, quibus res huiusmodi sub hastae sollemnis arbitrio fisco addixerit. Et si quid umquam, ut a fisco facta venditio possit infringi, auctoritate rescripti fuerit impetratum, nullus obtemperet, cum etiam minoribus, si quando aliquid ex rebus eorum pro fiscalibus debitis adiudicatur emptoribus, repetitionis facultas in omnem intercipiatur aetatem. 10.17.1]

4. cum haec sit commissa sec... atque luxuriam ferre debem... *antelucana* saepius vina rede... per somnum et gulam atque *lasciviam*... alienare velle nec posse defend... mus est. ita status debet esse fe... concedit qui et in satisfactio... nitas, nisi forsitan hi copiam... que repetendi, cum in praeteritum... vis omnium rerum multis ex... [cum etiam minoribus, si quan]do aliquid eorum pro fiscalibus debi[tis adiudicatur emptoribus, repetitionis facu]ltas in omnem intercipiatur aetatem... o res obnoxiae necessitatibus... *saepius* respexere leges, quia paren... ut desidia mereri posse se *credant*...

Data IIII id. nov. Treveris. <10.Nov.369>

Accepta.... *Valentiniano* nobilissimo puero et Victore cons... *ad consularem provinciae Lugdunensis primae Modesto et Arintheo cons.*

370-371 Valentinianus (1) - Valens - Gratianus

Johnson no.317

Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: IK-11-01, 00042 = RIGCAM-01, 00100 = AE 1906, 00030a = AE 1907, +00098.

[DDD(omni) nnn(ostri)] Auggg(usti) Valentinian[us Valens] Grati[a]nus
hab(e!) Eutropi car(issime) nobis /

[quod ex red]itibus fundorum iuris re[i 3 quo]s intra Asiam diversis quibusque civitatibus ad instaurand[am] enium faci[em] 3 p]ro certis / [partib]us habita aestimatione concensimus capere quidem urbes singulas beneficii nostri uberem fructum et pro [temporum r]efers felicit[ate] n]os[trorum] a foedo / [recenti]um squalore ruinarum in antiquam sui faciem nova reparatione consurgere verum non integram gra[tiam] con]cessi ad [ur]bes singulas beneficii / [perv]enire si quidem pro partibus praestitis reditus civitatibus potius q[ua]m ipsi cum reditibus fundi fuerint restitu[en]di et ministrandi idem reditus ab acto[ri]bus / [pr]ibatae(!) rei nostrae et diu miserabiliterque poscantur et vix aegr{a}eque tribuantur adque id quod amplius e[x i]sdem fundis super statutum canonem / [c]olliga{n}tur et isdem civitatibus pereat eorundemqu{a}e actorum fraudibus devoratum nihil tamen aerario nostro adiciat augmenti possitque / a curialibus vel excultione maiore vel propensiore diligentia nonnullus praestitionis cumulus ad gratiam concessionis accedere igitur cuncta / diligenti coram investigatione perspeximus et primum Efesenae urbi quae Asiae caput est missa ad nos dudum legatione poscen[ti] / [p]artem reddituum non fundorum advertimus fuisse concessam unde illi interim quam esse omnium maximam nulla dubitatio est in parte co[n]/[c]essa cum eo fundo quem Leucem nomine nostra iam liberalitate detentat tradi centum iuga promulgata sanctione mandavimus ut eius exemplo quid adhoc / ista in reparandis moenibus profecerit intuentis an reliquis praestandum sit similia decernamus ha(n)c san<e=I> quia ratione plenissima quod intra Asiam rei publicae / iuga esse videantur cuiusque qualitatis quantumve annua praestatione dependant mansuetudo nostra instructa [c]ognovit offerendam experientiae tu[ae] / credidimus optionem ut si omnem hanc iugationem quae est per omnem diffusa{m} provinciam id est sex milia septingenta triginta sex semis opim[a] / adque idonea iuga quae praeter VIII(milia) solidorum ad fixum semel canonem tria milia extrinsecus solidorum annua praestare referuntur sed et septingenta tr[ia] / etiam defecta ac sterilia iuga quae p<e=I>r illa quae idonea diximus sustinentur suscipere propria praestatione non abnuvis petitis maiestas nostra consen[tiat] / scilicet u[t] arbitrio tuo per curias singulas omni iugatione dispersa retracto eo reddituum modo quem unicuique civitatum propria largitione concen[simus] / [r]eliquam summam per officium tuum rei privatae nostrae inferre festines ut et omnem usuram diligentia{m} avidis eripiamus actoribus et si quid extrinsecus(!) / [luc]ri est cedat rationibus civitatum sane quia rerum omnium integram cupimus habere notitiam et ex industria nobis tuam expertam diligen[ti]a[m] / [con]fitemur plena te volumus ratione disquirere per omnem Asiam provinciam fundos iugationemque memoratam qui in praesentem diem ha[be]/[ant] qua rati]one possideant et quantum per iuga singula rei privatae nostrae annua praestatione dependant qui etiam opimi adque utiles fundi / [fisc]o gr[ati] si]ngulis quibusque potentissimis fuerint elocati et qui contra infecundi ac steriles in damnum rei nostrae paenes actores / fuerint d[er]elicti scilicet ut omni per idoneos ratione discussa a(c) confectis quam diligentissime brevibus mansuetudini nostrae veri / fidem nunties ut [inst]ructi super omnibus amplissimum efficacis industriae praestantiae tuae testimonium deferamus

371 Valentinianus (1) - Valens - Gratianus

Coleman-Norton no.152

Günther 1895, pp.52-53 (Collectio Avellana, no.11); Hänel 1857, no.1124 pp.224.

Idem Augusti <Valentinianus, Valens et Gratianus> ad Ampelium praefectum urbis.

Iure mansuetudinis nostrae sensibus vel divinitus datum est vel tranquillitate naturae, ne cum delinquentum facinore legum severitate certemus, ac spe emendationis futurae mitiorem esse velimus correctionis iniuriam quam provocat meritum noxiorum, Ampeli pater karissime atque amatissime.

Dudum Ursini inquietudine provocati, faventes concordiae populi Christiani, quieti etiam urbis sacratissimae providentes uno interim loco intra Gallias dumtaxat perturbatorem tranquillitatis publicae statueramus iure cohiberi, scilicet ne applicatione morum late dissensionis incommodum spargeretur. Verum naturae nostrae mansuetudine levigati, ita memorato abscedendi copiam dedimus, ne ad urbem Romam vel certe suburbicarias regiones pedem introferre aut nequitiae suae contagionem conetur infundere.

Id etiam de ceteris erroris eius consortibus, Gaudentio videlicet, Urso, Rufo, Auxanone, Auxanio, Adiecto, <Leontio> et Rufino sancimus; ut quos nequitiae similitudo complectitur, eos eadem etiam conditio emendationis astringat. Quod si quispiam ex memoratis sacrilega intentione statutum mansuetudinis nostrae transgrediendum putaverit, non iam ut Christianus sed ut legum ac religionis ratione seclusus, severitatem publicae animadversionis agnoscat.

De hac autem eadem observantia ad v.c. Maximinum vicarium urbis Romae dedisse nos conducibilem iussionem etiam censurae tuae volumus innotescere, quo circa memoratorum personas ab his, qui reipublicae nostrae praesident, proclivior statutis exsecutio deferatur maiorque sit eorum moderatio, qui qualitatem morum suorum atque actuum ad multorum specula senserint pertinere.

Et manu imperatoris: Vale Ampeli karissime atque amantissime.

371 Valentinianus (1) - Valens - Gratianus

Coleman-Norton no.153

Günther 1895, pp.53-54 (Collectio Avellana, no.12); Hänel 1857, no.1124 pp.224-225.

Idem Augg. <Valentinianus, Valens et Gratianus> Maximino vicario urbis Romae.

Est istud divinitus institutum mansuetudini nostrae, ut etiamsi morum emendatio in hominum vita sufficiat, numquam tamen ab indulgendi studio et voluntate cessemus mitioremque esse cupiamus correctionis iniuriam quam provocant merita delinquentum.

E quo oritur, <ut> Ursino, quem propter quietem populi Christiani et debitam religioni ac legibus disciplinam uno interim loco morari intra Gallias iusseramus, sub ea conditione evagandi arbitrium praeberemus, ne vel ad urbem Romam vel ad regiones suburbicarias audeat commeare.

Qui si ingrata pertinacia statutum mansuetudinis nostrae egrediendum putaverit, eundem non iam ut Christianum, quippe quem a communione religionis mentis inquietudo disternat, sed ut hominem factiosum perturbatoremque publicae tranquillitatis legum et religionis inimicum iuris severitas persequatur, Maximine karissime ac iocundissime.

Sinceritas igitur tua iussionis nostrae serie debita veneratione praelata singularum urbium atque regionum, quibus temporarie praeest, primores atque incolas propria scriptione conveniat, quatenus sciant ita memorato egrediendi terminos iure praescriptos una cum inquietudinis suae errorisve consortibus Gaudentio Urso Rufo Auxanone Auxanio Adiecto Leontio nec non Rufino licentiam praebitam, ut ab interdictis locis incessum intelligant abstinendum. Sic enim mansuetudinis nostrae indulgentiam temperamus, ne occasione praestita vicinitate inquietorum ad aliquam forsitan vociferationem religiosi populi studia provocemus.

375 Valentinianus (1) - Valens - Gratianus

Johnson no.318

Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: IK-11-01, 00043 = AE 1906, 00030b.

[DD]D(omini) nnn(ostri) Auggg(usti) Valen[t]inianus Valens Gratia[n]us
[habe(!)] Feste [carissime n]ob(is) / honorem Asiae ac totius provinci[a]e dignitatem quae ex iudicantis pendebat arbitrio [exe]mplo Illyri[c]i a[d]que Italarum urbium recte perpexi[mus(!)] / esse firmatum nec enim utile videbatur ut [po]npa(!) conventus publici unius arbitrio gereretur qu[a]m consuet[u]dinis instaurata deberet solemnitas / exhibere ex sententia denique factum est quod divisis officiis per quattuor civitates quae metropolis apu[d] Asiam nominantur lustratis cernitur edi[tio] / constituta ut dum a singulis ex[h]ibitio postulatur non desit provinciae coronatus nec gravis cuiquam erogatio sit futura cum servatis vicibus qu[un]to anno civitas praebeat editorem nam et il[lu]d quoque libenter admisimus quod in minoribus municipiis generatis quos popularis animi gloria maior / attollit facultatem tribui edendi mun[er]is postulasti videlicet ut in metropoli Efesana al[ia] e civi[ta]te asiarchae sivi alytarchae procedant ac s[ic] / officiis melioribus nobilitate contend[an]t unde qui desiderii sub s(a)eculi nostri felicitate ferv[ent]ibus gaudiorum debeamus f[om]enta [p]raestare c[ele]brandae editionis dedimus potestat[e]m adversum id solum voluntatem contrariam re[feren]tes ne suae civitatis obliti eius in qua ediderin[t] / munera cu[ria]e socientur Feste karissime(!) ac iucundissime lauda[ta] ergo

experientia tua n[os]tri potius praecepta sequatur arbitrii ut omn[es] / qui ad hos h[on]ores transire festinant c[u]nctas primitus civitatis suae restituant functiones u[t p]eractis curiae muneribus a[d h]onorem totiu[s] / provinciae debiti fabore festinent percepturi postmodum si tamen voluerint senato[r]iam dignitatem (ita tam)en ut satisficientes legi in locis s[uis] / alteros dese(r)ant substitutos ceterum nequaquam ad commodum credimus esse iustitiae ut expensis rebus suis laboribusque transactis / veluti novus tiro ad curiam transeat alienam cum rectius honoribus fultus in sua debeat vivere civitate

378 Gratianus - Valentinianus (2)

Coleman-Norton no.164

Günther 1895, pp.54-58 (Collectio Avellana, no.13); Mansi 1758f, v.3 (347-409) cols.627-629; Migne 1844f, v.13, cols.583-588; Hänel 1857, no.1131 pp. 226-227.

Gratianus et Valentinianus Augg. Aquilino vicario.

Ordinariorum sententias iudicum aut temporum limes aut contumacis pronuntiatio aut habitum coram partibus sancit examen et haec mediocris auctoritate labefactari atque convelli nec a potentioribus nec ab impudentibus pertimescit: nostra praecepta per vestram negligentiam destituta quae tandem poterit ferre patientia? quam quidem dum despicitis non excitatis, ut longae tolerantiae desperatos sumat accentus et officium metus cogat agnosci.

Etiarne vividius est, quod Ursini inussit amentia, quam quod serenitas nostra mitibus persuasit edictis, ut omnes, qui impios coetus profanata religione temptarent, vel ad centesimum urbis miliarium pellerentur, ubi pertinax furor ab obsequentibus destitutus in eius tantum perniciem rueret, qui solus erraret, et ut condemnati iudicio recte sentientium sacerdotum reditum postea vel ad ecclesias quas contaminaverant, non haberent vel integrationem iudicii frustra <a> nobis impudenti pervicacia precarentur? Repetat laudanda et spectata sinceritas tua, quales ad virum clarissimum Simplicium quondam vicarium litteras clementia nostra transmiserit, et desinat iterationem sperare mandati, quia pigendus mansuetudinis nostrae pudor est instaurare praeceptum.

Ursinum quidem Gallia coerces et, ne motus aliquos inquietas exerces, cohibet Agrippina secessio; quem tamen ipsum per occurrentes obtundentem saepius quam maerentem ad hoc, ut frequentius abiceretur, audivimus. Hisacem remotus Hispaniae angulus titulo damnationis inclusit: non bene capiti consultum, si quid turbarum vesanus agitaverit. Parmensis episcopus eo perniciosior, quod inlytae urbi magis proximus, et imperitorum multitudinem magis exagitat, et ecclesiam, de qua iudicio sanctorum praesulum deiectus est, inquietat: inanem videlicet gloriam sententiae gravioris exspectans: quem si quid decessor tuus devoti vigoris habuisset, porro ultra fines debuisset extrudere. Et Florentius Puteolanus post damnationem, quam recto iudicio convictus accepit ac mansuetudinem nostram inquietare conatus dignum tulit improba offensione responsum. Post quintum decimum annum ecclesiam, de qua fuerat extrusus, rursus contaminare conatur, congressiones illicitas facere molitur egentemque consilii multitudinem perdit animi persuasione depravat. Nostrorum videlicet iudicum socordia fretus, qui privatae gratiae imperialia praecepta condonant et religionem, quam nos iure veneramus, quia fortasse ipsi negligunt, inquietari patienter accipiunt. Claudianus etiam ab his, qui contra divina praecepta initia religionis instaurant, ab his, inquam, quos expelli iusseramus accitus, quasi parum facinoris aggressus esset, si in Africa perstitisset, Romae sese dicitur intimasse falsusque praeceptor vel expertes adhuc devio profanere mysterio vel iam initiatos ex integro nititur flagitio maiore corrumpere: cum religionis sanctissimae disciplinam non cumulet iteratio sed evertat. Quem nos Claudianum dissimili poena ac meruit persequentes repetere tantummodo patriam hactenus commota severitate praecepimus. Sed residere etiamnunc dicitur imperitosque sollicitans et cassa nomina mercede conquirens perdit animas corporum redemptorum.

Hinc illi insectatores sanctissimae sedis non solum dei numine, quod satis erat, sed etiam iudiciorum examine exploratum mentis sanctissimae virum, ut etiam divo patri Valentiniano est comprobatum, turpissimis calumniis episcopum Damasum inquietare non veriti, postquam desperaverunt posse percelli, populum pro quo ille divinitati obses est inquietant.

Sed hactenus steterit iners dissimulatio iudicantium: nec necesse est admonere, quo possit sanctio contempta procedere; hactenus, inquam, steterit apparitorum supina desidia: posthac nisi omnes, ut nominatim iussionis nostrae summa complectitur, vel quos turbas istiusmodi molientes sancti episcoporum concilii consensus ostenderit, ultra centesimum milliarium ab urbe depuleris atque earum civitatum finibus extorres esse praeceperis, quarum plebem vel ecclesias vel per se vel per simile sui vulgus exercent, praeter aestimationis iniuriam, cuius apud bonos iactura non levis est, piaculum neglectae sanctionis incurres.

Volumus autem, ut, quicumque iudicio Damasi, quod ille cum concilio quinque vel septem habuerit episcoporum, vel eorum, qui catholici sint iudicio atque concilio condemnatus erit, si iniuste voluerit ecclesiam retentare vel evocatus ad sacerdotale iudicium per contumaciam non <ad>esse, seu ab illustribus viris praefectis praetorio Galliae atque Italiae auctoritate adhibita ad episcopale iudicium remittatur sive a proconsulibus vel vicariis <accitus> ad urbem Romam sub prosecutione perveniat, aut si in longinquiribus partibus alicuius ferocitas talis emerit, omnis eius causae dictio ad metropolitanum in eadem provincia episcopi deducatur examen, vel si ipse metropolitanus est, Romam necessario vel ad eos, quos Romanus episcopus iudices dederit, sine relatione contendat, ita tamen, ut quicumque deiectioni sunt, ab eius tantum urbis finibus segregentur, in quibus fuerint sacerdotes. Mitius enim graviter meritos cohercemus et sacrilegam pertinaciam lenius quam merentur ulciscimur. Quod si vel metropolitani episcopi vel cuiuscumque alterius sacerdotis iniquitas suspectatur aut gratia, ad Romanum episcopum vel ad concilium quindecim finitimorum episcoporum accessit liceat provocare, modo ne post examen habitum quod definitum fuerit integretur. Iam vero illud, quod in negotiis quoque rerum minorum et in levibus causae dictionibus animis nostris iustitia naturalis inseruit, multo diligentius in causis iustissimis volumus convalescere, ne facile sit cuicumque perdito notabili pravitate morum aut infami calumnia notato personam criminantis assumere aut testimonii dictionem in accusationem episcopi profiteri.

379 Gratianus - Valentinianus (2)

Migne 1844f, v.16, cols.913-914.

Gratiani ad Ambrosium Mediolanensem episcopum epistola.

Ambrosio religioso sacerdoti omnipotentis dei Gratianus Augustus.

Cupio valde ut quem recordor absentem et cum quo mente sum, cum eo etiam corpore sim praesenti. Festina igitur ad me, religiose dei sacerdos, ut doceas doctrinam vere credentem: non quod contentioni studeam aut velim magis deum verbis quam mente complecti, sed ut magis aperto pectori revelatio divinitatis insidat.

Docebit enim me ille, quem non nego, quem fateor deum ac dominum esse meum, non ei obiiciens, quam in me video, creaturam, qui Christo nihil me addere posse confiteor, velle tamen ut etiam patri me commendem filium praedicando. Non ego in deo verebor invidiam: non me talem laudatorem putabo, qui divinitatem verbis augeam. Ego infirmus et fragilis, quantum possum, praedico, non quantum est ipsa divinitas.

Rogo te ut mihi des ipsum tractatum, quem dederas, augendo illic de spiritu sancto fidelem disputationem: Scripturis atque argumentis deum esse convincas.

Divinitas te servet per multos annos, parens, et cultor dei aeterni, quem colimus, Iesu Christi.

380-381 Valentinianus (2) - Theodosius (1) - Arcadius

Pharr p.480 / Coleman-Norton no.171

Mommsen 1904, pp.912-13 (Constitutiones Sirmondianae, no.7).

Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. ad Eutropium praefectum praetorii.

Placida beneficia lenitatis dei omnipotentis arbitrio commoti pro felicitate saeculi publicamus, ut illos, quos imminentis supplicii terror exagitat, insperatae miserationis indultio securitati perpetuae restitutos ad communis vitae gaudia depulsa culparum acerbitate perducatur, ut novae reparationis luce perfusi melioris vitae teneant novitatem. Ideo denique pro festivitate paschali,

quam communi et praecelsa professione veneramur, noxas remittimus, ut ii, quos mansuetudinis nostrae indulgentia liberarit, melioris instituti praecepta sectantes nihil periculosum audeant perpetrare, Eutropi parens carissime atque amantissime, exceptis his, quos quinque inmanitas criminum minime patitur relaxari, ceteros carceris custodia liberatos statui pristino restituat, ut communi traditi libertati concessae securitatis gratia perfruantur. <380/381>

383-384 Theodosius (1)

Coleman-Norton no.195

Günther 1895, pp. 45-46 (Collectio Avellana, no.2a).

Theodosius epistola ad Cynegium.

Salve, Cynegi, carissime nobis.

Etsi nulla humanis pectoribus maior quam divinae legis debet esse reverentia nec adici quicquam ad eam possit, cuius ambitiosa praestantia, mundi terraeque moderatrix, omne, quod sub nobis esse voluit favor omnipotentis dei propitiata custodit: tamen, quia per Faustinum atque Marcellinum plenissimos fidei sacerdotes interpellata clementia nostra, veriti sumus ne, si per nos nihil fuisset responsum petentibus nos videremur annuere his, qui divinae legi, cui servimus, contra propositum nostrum aliquid addidissent, atque ideo ita utrumque moderamur, ut petitionem, quae est oblata, veneremur, fidei autem nihil ex nostro arbitrio optemus vel iubeamus adiungi, nemo enim umquam tam profanae mentis fuit, qui cum sequi catholicos doctores debeat, quid sequendum sit, doctoribus ipse constituat.

Et sane probabilis et iusta laudatio precum est, quae omnem prope seriem haereticae superstitionis, quae contraria est fidei catholicae, ordinemque complexa est. Nam et unde exorta et quo provecta auctore fuisset, aperuit, quippe cum persuasu quorundam totius saeculi antiquitate mutata acti pro fide in exilium innocentes vitam cum summa laude posuerunt.

Sed circa eos non est dilata ultio, qui insidiati bonis moribus et caelestibus institutis paulisper ex contentione non fide sed factione multorum mentes detestanda insinuatione perverterent. Nam usque adeo omnipotentis dei mota patientia est, ut poenam, quae criminosis post fata debetur, in exemplo omnium ante fata sentirent. Sed ne hoc quidem facto converti ad praeceptum dei flectique potuerunt: catholicos occultis molitionibus urgent insequuntur oppugnant; tanta perseverantia erroris est, ut cum aliis diversae observantiae sectatoribus cottidie peccare malint quam cum catholicis recta sentire.

In quo petentium laudanda illatio est, qui communicantes Gregorio Hispaniensi et Heraclidae Orientali, sanctis sane et laudabilibus episcopis, optant in fide catholica sine oppugnatione alicuius ac molestia vivere nullisque appetentium insidiis conventionibusque pulsari quippe quibus placeat susceptam semel fidem omni in aevum religione servare.

Sit itaque inviolatum, quicquid esse meruit aeternum; non conventio aliquid, non appetitio, non fraus attemptet aliena; utantur, quo in loco voluerint, proposito suo, utantur ad catholicam fidem amore divino, Cynegi parens carissime atque amantissime.

Sublimitas tua praeceptum nostrae serenitatis, qui catholicam fidem omni favore veneramur, sine qua salvi esse non possumus, ita iubeat custodiri, ut Gregorium et Heraclidam sacrae legis antistites ceterosque eorum consimiles sacerdotes, qui se parili observatione dederunt, ab improbatorum hominum atque haereticorum tueatur et defendat iniuriis sciantque cuncti id sedere animis nostris, ut cultores omnipotentis dei non aliud nisi catholicos esse credamus.

?384 Valentinianus (2) - Theodosius (1) - Arcadius

Pharr p.478 / Coleman-Norton no.197

Mommsen 1904, pp.909-10 (Constitutiones Sirmondianae, no.3).

Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. ad Optatum praefectum Augustalem.

Graviter admodum mota est nostra clementia quaedam ab his, qui episcoporum sibi nomina vindicant, perpetrata et contra leges non minus divinas quam humanas improba temeritate commissa, vexatos etiam nonnullos orthodoxorum clericos, quorum aetas huic iniuriae ac sacerdotium repugnabat, fatigatos itineribus, quaestionariis deditos, adque haec omnia per eos

commissa, qui ad tegumenta frontis sacerdotii nominis titulos praeferebant. Denique lectis in consistorio precibus, quibus episcopalis pietas aliquid postulans refragatur in eo ...adque idcirco continua lege sancimus, nomen episcoporum vel eorum, qui ecclesiae necessitatibus serviunt, ne ad iudicia sive ordinariorum sive extraordinariorum iudicum pertrahatur. Habent illi iudices suos nec quicquam his publicis commune cum legibus: quantum ad causas tamen ecclesiasticas pertinet, quas decet episcopali auctoritate decidi. Quibuscumque igitur mota fuerit quaestio, quae ad christianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo iudice litigare, ut ille praesul sit in suis tamen partibus omnium sacerdotum, id est per Aegypti dioecesim, Optate carissime ac iucundissime.

Quare laudabilis auctoritas tua arbitrio temperato quidquid negotiorum talium incidat, terminet habituro pontificium sacrae disceptationis Timotheo episcopo, quem sibi omnes etiam suo iudicio praetulere. Est enim vir cum omnium sacerdotum suspicionem venerandus, tum etiam nostro iudicio iam probatus.

Data pridie nonas Februarias Constantinopoli. <4.Feb.384?>

384-385 Valentinianus (2) - Theodosius (1) - Arcadius

Coleman-Norton no.211

Günther 1895, pp. 46-47 (Collectio Avellana, no.3).

Valentinianus Theodosius et Arcadius Augusti Sallustio praefecto urbis.

Desiderantibus nobis contemplatione venerationis antiquitus iam sacratae basilicam Pauli apostoli pro sanctimonio religionis ornare, pro quantitate conventus amplificare, pro studio devotionis attollere gratum fuit tuae sublimitatis officium, quod ad inspicienda universa, ut res exigebat, detulisti et omnem situm locorumque faciem sermonis congrui diligentia nostrae serenitatis auribus intimasti. Instructiores enim nos iubere decuit, quae iubenda sunt. Quare participato examine cum venerabili sacerdote intimatisque omnibus et magnificentissimo ordini et Christiano populo, quae iubemus, sublimitas tua rem diligentiore tractatu et plena rerum inspectione discutiat. Ac si placuerit tam populo quam senatui iter vetus, quod basilicae praeterit dorsum quodque ripae Tiberini amnis adiacet, innovari, ita ut praesens via spatiis futuri operis applicetur, eatenus per architectos futurae basilicae diriget formam, quatenus se planities extructionis amica praetulerit, ne ulla inaequalitas splendorem fabricae amplificatoris obliet; siquidem in omni moenium facie decor summus est, quem servari oportere prima statim fronte magnarum aedificationum demonstrat intentio. Iam illud ipsa res exigit, ut et synopsis operis construendi fidei tendatur examine sumptuumque omnium iuxta pretia rerum, quae in sacratissima urbe, praetaxatio plenius ordinetur atque ad nostram clementiam debita maturitate referatur; ut communi omnium consilio nostrae quoque serenitatis nutus accedat, quo facilius id, quod devota mens statuit, pro tantae religionis meritis explicetur.

Et alia manu principis: Divinitas te servet per multos annos, parens karissime atque amantissime.

385 Valentinianus (2) - Theodosius (1) - Arcadius

Coleman-Norton no.200

Günther 1895, pp.47-48 (Collectio Avellana, no.4); Hänel 1857, no.1138 pp. 230.

The two copies: Mansi 1758f, v.3 (347-409) col.654 and Migne 1844f, v.13, cols.593-594 are both dated VII Kalendas Mar.

Valentinianus, Theodosius et Arcadius Piniano praefecto urbis.

Have Piniane carissime nobis.

Populum urbis aeternae gaudere concordia et optimum eligere sacerdotem, et populi Romani esse cernimus instituti et nostris gratulamur id evenire temporibus.

Proinde quoniam religiosum Siricium antistitem sanctitatis sic praeesse sacerdotio voluerunt, ut Ursinum improbum acclamationibus violarent nostro cum gaudio memoratus episcopus esse permaneat, Piniane karissime ac iocundissime: siquidem magnum innocentiae et probitatis exemplum est in una acclamatione et ipsum eligi et ceteros improbari.

Data VI. Kal. Mar. Mediolani <24.Feb.385>

385 Magnus Maximus*Coleman-Norton no.203**Günther 1895, pp.90-91 (Collectio Avellana, no.40); Migne 1844f, v.13, cols.590-592; Hänel 1857, no.1138 p. 230 (excerpt).*

Victor Maximus perpetuus triumphator semper Augustus Siricio parenti.

Accepimus litteras sanctitatis tuae, quae nobis fuere gratissimae quaeque plane et nomini sacerdotis et dignitati urbis splendidissimae convenirent. Fidei vero catholicae, de qua clementiam nostram consulere voluisti, quo maius circa me et speciale iudicium divinitatis experior, hoc me confiteor curam habere maiorem, qui videlicet ad imperium ab ipso statim salutari fonte conscenderim et cui in omnibus semper conatibus atque successibus deus fautor affuerit cuiusque hodie et, ut spero, perpetuo protector et custos esse dignetur, pater karissime.

Ceterum de Agroecio <=Agricio> quem indebite ad presbyterii gradum conscendisse commemoras, quid religioni nostrae catholicae possum praestare reverentius, quam ut de hoc ipso, cuiusmodi esse videatur, catholici iudicent sacerdotes? Quorum conventum ex opportunitate omnium, vel qui intra Gallias vel qui intra Quinque provincias commorantur, in qua elegerint urbe constitutam, ut isdem residentibus et cognoscentibus, quid habeat consuetudo, quid legis sit, iudicetur. Haec enim, quae libris sunt asserenda, et maiorum nostrorum religiosissimis constitutis, ipsi possunt melius astruere, qui norunt.

Ceterum id nobis animi et voluntatis esse profiteamur, ut fides catholica procul omni dissensione summtota concordantibus universis sacerdotibus et unanimiter deo servientibus illaesa et inviolabilis perseveret. Nam noster adventus ita inquinata aliqua et sceleratorum labe polluta deprehendit et repperit, ut, nisi nostra provisio atque medicina, quae ex dei summi timore veniebat, his opem celeriter attulisset, ingens profecto divulsio atque perditio fuisset exorta, ut vix sananda postea vitia concrevissent.

Ceterum quid adhuc proxime proditum sit Manichaeos sceleris admittere, non argumentis neque suspicionibus dubiis vel incertis sed ipsorum confessione inter iudicia prolatis malo ex gestis ipsis tua sanctitas quam ex nostro ore cognoscat, quia huiusmodi non modo factu turpia verum etiam foeda dictu proloqui sine rubore non possumus.

Et manu imperatoris: Divinitas te servet per multos annos.

386 Valentinianus (2) - Theodosius (1) - Arcadius*Pharr pp.480-481/ Coleman-Norton no.207**Mommsen 1904, pp.913-14 (Constitutiones Sirmondianae, no.8).*

Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius.

Studiis nostrae serenitatis, quibus etiam praeter consuetudinem statutae adque annuae lenitatis ad propagandas ex more indulgentias naturali beneficio semper animamur, desideratum bonis mentibus tempus advenit. Neque enim alias magis talibus beneficiis imperatoriam decet aequare pietatem, quam cum toto penitus orbe terrarum sacer dies festiva sollemnitate reparatur. Et nos quidem praeter hanc velut indictam et a maioribus traditam pro religionis observatione clementiam liberandis paene omnibus, quos legum severitas strinxerit, effusa penitus humanitate operam sacrae mentis exserimus.

Quin per omne hoc, quod inter venerandos et celebres dies medium fluit tempus, catenis levamus, exilio solvimus, a metallo abstrahimus, deportationibus liberamus, cum satis constet nullum prope diem esse, quo non aliquid clemens sanctumque iubeamus, censentes nos etiam damnum quoddam horarum pati, si qui liberetur nullus occurrerit.

Ex quo apparet properato nos semper arripere istam necessariam exsolvendis, quatenus tamen iusta humanitas patitur, legibus sanctimoniamque continuamus omnibus temporum metis voluntariam. Neque enim convenit inter festivas caeremonias et venerabiles sacri temporis ritus strepere infelicium dissonas voces, trahi ad communem misericordiam horrentibus passis feraliter crinibus reos, audiri tractos ex imo pectore gemitus, cum utique bene sibimet sacra et

laeta conveniant et non deceat inter serena votorum ac dicatas aeterno numini pias voces aliquid triste sentire audire conspicere.

Unde notam beneficiis nostris non suppressimus lenitatem, aperimus quin etiam carcerem, vincla deponimus, impexos tenebrosae pedore custodiae crines decenter amovemus. Eripimus omnes feralibus poenis praeter eos, quibus pro magnitudine scelerum non decet subveniri. Habeant illa generalibus excepta indulgentiis crimina suum fatum et competens maiorum scelerum reos exitus teneat. Nullius nos manibus in absolvendis iniuriam faciemus homicidis; nullius inultos toros remisso adulteriorum ac talium scelerum supplicio deseremus causam, quae late tenditur, maiestatis integram reservamus. Non aliquos in astra peccantes, non venenarios aut magos, non falsae monetae reos absolvendorum felicitati conectimus: si quidem digni non sunt festivae lucis usura, a quibus graviora commissa sunt, quam prudens solet liberare clementia.

Et ne diutius in hac criminum serie laetior versetur oratio, exceptis solitis notisque criminibus alios relaxamus, antiochine carissime ac iucundissime.

Quocirca spectabilitas tua nostrae mansuetudinis scita quantocius iubebit impleri, ut velocius laeta propagentur, adque in communi omnium celebritate suspendi, quicumque meretur absolvi.

Data X kal. Mai. Constantinopoli Honorio nobilissimo puero et Evodio cons. <22.Apr.386>

386 Magnus Maximus

Günther 1895, pp. 88-90 (Collectio Avellana, no.39); Mansi 1758f, v.3 (347-409) cols.673-674; Migne 1844f, v.13, cols.591-594.

Epistola Maximi tyranni ad Valentinianum Aug. iuniorum, contra Arrianos et Manichaeos.

Nisi clementiae nostrae circa serenitatem tuam fides simplex esset et gratia plenae concordiae, confido etiam quod commoda rationibus meis esse possent haec, quae nunc agi dicuntur in partibus tranquillitatis tuae: catholicae legis turbatio atque convulsio. Quid enim tam optandum possit ei, si quis esset inimicus, quam adversus ecclesias dei, hoc est adversus deum ipsum, te aliqua moleri et, ubi error excusabilis non est, ibi velle peccare? Sed quoniam serenitati nostrae et in deum religio maior quam <ut eum> violari et ab inimicismo quoque optabile nobis arbitremur, et circa serenissimam iuventutem tuam tam arta nostri cura, tam sedula est, ut recte facta magis nos sua quam errata delectent: idcirco perennitatem tuam credidimus commonendam, ut introspecta ratione numinis summi et maiestatis ipsius considerata potentia, quid agere debeas, sollicita mente perpendas. Audio enim (nam fama non patitur occultari, praesertim quod agitur in populos) novis clementiae tuae edictis ecclesiis catholicis vim illatam fuisse, obsideri in basilicis sacerdotes, multam esse propositam, poenam capitis adiectam et legem sanctissimam sub nomine nescio cuius legis everti. Hoc quam grave est, poteris intueri, si dei magnitudinem volueris cogitare. Erubesco, si quam crediderit serenitas tua astruere vellem rationem et dei agere causam. Quid enim, si hoc solum esset? Si enim iam per tot saecula coalita et confirmata mutares, parvamne excitare discordiam videreris? Ipsi humanis legibus in hac mortalitate habet nostra reverentiam consuetudo et in re iam vetusta atque usitata aliquid novum fecisse reprehensio est. Italia omnis atque Africa hoc sacramento credunt; hac fide gloriantur Gallia, Aquitania, omnis Hispania, Roma ipsa venerabilis, cuius etiam in hac parte principatus est, quod deum sicut sequi voluit agnovit. Confitebor ipse (quod non sine maerore dictum est) solum dissentiebat Illyricum. Utinam quod errasset non extaret exemplum. Utinam illud incolume Arrianae legis Mursinense oppidum permaneret et non ad iudicium quondam erroris miseri concidisset, ut, quia ipsos erudisset auctores, praecipua irati numinis ultione procumberet. Periculose, mihi crede, divina temptantur. Venerabilis memoriae divus Valentinianus, pater clementiae tuae, hac fide fideliter imperavit. Nihil ille attingere voluit, quod bene constitutum videbat. Hi certe sub eodem episcopi iam fuerunt: quae tanta mutatio, ut, qui antea sacerdotes, nunc sacrilegi iudicentur? Isdem certe praeceptis, isdem sacramentis dicati eadem fide credunt, qua ante crediderunt. An putat venerabilis mihi serenitas tua conceptam semel in animis hominum religionem, quam deus ipse constituit, posse convelli? Quantae ex hoc discordiae excitabuntur? Quanta contentio oborietur?

Quam crebrae et pestiferae seditiones? Quanta et quam pervenientia ad deum vota iustorum, cum inter Christianos, quod dictu sit nefas, quaedam persecutionis imago nascatur? Videris, in quam partem hanc sedulitatem nostram interpreteris; nullo certe maiore genere curam meam circa clementiam tuam probare + te posse, quam si te horter, ut desinas: puto enim recognoscas, quod nemo hoc suaderet inimicus. Haec amabiliter a nobis dicta esse opto ut intellegas, spero quod credas. Unde aequum admodum est, ne sancto numini dicata convellas, Italiam omnem et venerabilem Romam ceterasque provincias suis ecclesiis, suis sacerdotibus reddas neque te medius interseras, cum fas sit iustius, qui a catholica ecclesia Arrianorum interpretatione discesserint, errorem suum vera religione mutare quam recte sentientibus suam immittere pravitatem.

390 Valentinianus (2) - Theodosius (1) - Arcadius

Mommsen 1890, p.155 (Mosaicarum et Romanarum legum collatio, V.3).

Excerpt in Cod.Theod.9.7.6 (addressed: Iidem aaa. Orientio vicario urbis Romae and dated: Proposita in foro Traiani VIII. Id. Aug. Valentiniano A. IIII et Neoterio cons. <6.Aug.390>)

Impp. Valentinianus Theodosius et Arcadius Auggg. ad Orientium vicarium urbis Romae. Non patimur urbem Romam virtutum omnium matrem diutius effeminati in viro pudoris contaminatione foedari et agreste illud a priscis conditoribus robur fracta molliter plebe tenuatum convicium saeculis vel conditorum inrogare vel principum, Orienti k(arissime) ac iuc(undissime) nobis. Laudanda igitur experientia tua omnes, quibus flagiti usus est virile corpus muliebriter constitutum alieni sexus damnare patientia nihilque discretum habere cum feminis, occupatos, ut flagitii poscit inmanitas, atque omnibus eductos, pudet dicere, virorum lupanaribus spectante populo flammae vindicibus expiabit, [*Omnes, quibus flagitii usus est, virile corpus muliebriter constitutum alieni sexus damnare patientia (nihil enim discretum videntur habere cum feminis), huius modi scelus spectante populo flammis vindicibus expiabunt. 9.7.6*] ut universi intellegant sacrosanctum cunctis esse debere hospitium virilis animae nec sine summo supplicio alienum expetisse sexum qui suum turpiter perdidisset.

Prop. pr. id. Maias Romae in atrio Minervae. <14.May.390>

404 Arcadius - Honorius

Mansi 1758f, v.3 (347-409) cols.1101-1102; Migne 1844f, v.20, col.511-512.

Honorii imperatoris ad Arcadium Augustum

Tertio iam scribo ad mansuetudinem tuam, rogans ut quae ex compacto contra Ioannem Constantinopolitanum episcopum gesta sunt, emendentur: et, ut videtur, nondum est perfectum. Quare denuo scripsi per hosce episcopos et presbyteros, de pace ecclesiastica, per quam et nostrum imperium pacem obtinet, valde sollicitus; ut iubere digneris orientis episcopos Thessalonicae convenire. Etenim nostri occidentis episcopi, cum elegissent viros qui ad malum et mendacium declinare nesciant, miserunt episcopos quinque, presbyteros duos, et diaconum unum magnae ecclesiae Romanae, quos omni honore digneris velim; ut si Ioannem iure expulsus esse persuasum eis fuerit, doceant me ab eius communione recedere; am si coarguerint orientis episcopos prava animi voluntate agi, ab eorum te communione avertant. Quenam enim sit occidentalium de Ioanne episcopo sententia [ut compertum habeas], ex omnibus epistulis, quae ad me scriptae sunt, duas subieci id quod caeterae continent, unam Romani, alteram Aquileiensis episcopi. Porro hoc ante omnia obsecro clementiam tuam, Theophilum Alexandriae episcopum, qui omnium malorum auctor esse dicitur, vel nolentem se sistere iubeas: ut nihil obstet, quominus episcoporum qui adfuerint synodus convenientem temporibus nostris pacem sanciat.

404 Arcadius - Honorius

Exemplum sacrae Honorii Augusti missae ad principem orientis Arcadium.

Quamvis super imagine muliebri novo exemplo per provincias circumlata et diffusa per universum orbem obtrectantium fama litteris aliis commonuerim, ut talis facti paenitentia et intermissione propositi rumor aemulus consenescat et, quod in moribus temporum carpat, publica lingua non habeat; quamvis etiam super excidio pereuntis Illyrici pio apud vos prodiderimus affectu esse nobis dolori, cur ista nos detrimenta rei publicae nolueritis agnoscere et aliis potius indicibus quam pietatis vestrae litteris fuerint nuntiata: tamen ne illud quidem apud serenitatem vestram dissimulare nos fas est, quod in rebus divinis non sine publici discriminis metu nuperrime contigisse cita semper malorum enuntiatrix fama non tacuit et, ut natura fert hominum, quae ad obtrectandum novis semper casibus excitatur, oblata occasione carpendi malitiam suam in tempora studio scaevae loquacitatis exercet. Est enim proditum nuper apud Constantinopolim sacratissimo paschae venerabilis die, cum omnes paene in eundem locum vicinarum urbium populos religio castigatiore sub praesentia principum ritu celebranda conlegerat, clausas subito catholicas ecclesias, trusos in custodiam sacerdotes, scilicet ut eo potissimum tempore, quo indulgentia principali tristia noxiorum claustra reserantur, piaae legis et pacis ministros saevus carcer includeret, omniaque bellicum in modum turbata mysteria, nonnullos in ipsis ecclesiae sacrariis interemptos tantamque circa altaria vim saevisse, ut et venerabiles episcopi in exilium truderentur et sanguis humanus, quod dictu nefas est, caelestia sacramenta perfunderet. His repente compertis turbatos esse nos fateor. Quis enim in facinore tam cruento dei omnipotentis non timeret offensam aut quo pacto extra summum Romani orbis omniumque mortalium putaret esse discrimen, cum ipse auctor nostri imperii et rei publicae, quam nobis credidit, gubernator omnipotens deus funestis admodum execrabilibusque commissis crederetur irasci, domini sancti frater neposque Augusti venerabiles: cum, si quid de causa religionis inter antistites ageretur, episcopale oportuerit esse iudicium? Ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium. Sed esto, sibi de mysticis et catholicis quaestionibus amplius aliquid principalis cura praesumpserit: itane usque ad exilia sacerdotum, usque ad hominum caedes debuit indignatio concitata procedere, ut, ubi castae preces, ubi vota sincera, ubi sacrificia illibata solvuntur, illic se gladius haud facile etiam in iugulum noxiorum destringendus exereret?

Rebus denique ipsis docetur, quid super his senserit divina maiestas. Primum quidem hoc praesentis commotionis indicium fuit, atque utinam solum! Facit enim humana trepidatio tanti sibi conscia perpetrati, ut gravius aliquid (quod avertat omnipotens deus) post terribilis ultionis experimenta metuamus: audio ecclesiam sacrosanctam, tot imperatorum opibus expolitam, pretiosis cultibus nobilem, tanta supplicantium principum flagrasse et illud Constantinopolitanae urbis unicum lumen in favillas dilapsam deo non vetante fumasse (execrari enim videtur inquinata mysteria et avertisse oculos ab eo loco, quem iam sanguis infecerat, ne obsecrare quis pietatem caelestem sub cruentis posset altaribus), aedificia quoque divina non minore splendore nobilia ex concitatione saevientis incendii flamma se latius effundente consumpta et, quae publicam faciem elaborata maioribus nostris ornamenta decorabant, velut quodam urbis funere concremata.

Haec ego quamvis crebris iniuriis lacessitus tacere debuerim nec coniunctissimum fratrem regnique consortes tam fideliter admonere, tamen necessitudinem sanguinis stimulo taciti doloris anteferens hortor ac suadeo, ut haec, si fieri potest, emendatis in posterum moribus corrigantur ac divina iracundia, quantum re proditur, excitata votorum sedulitate placetur. Accipite a me summum simplicitatis iudicium: idcirco hoc clementiae vestrae insinuandum putavi, ne me velut gratulationis occultae faceret apud quemquam taciturnitas ipsa suspectum neve quis crederet me talibus factis praebere consensum et, qui saepe ne acciderent commonuerim, postea quam commissa sunt non dolerem.

Nam quis esse possit expers doloris, qui se meminit Christianum, tantam subito perturbationem religionis inductam ut omnem catholicae fidei statum necesse sit fluctuare? Erat inter episcopos causa, quae collato tractatoque consilio deberet absolvi; missi ad sacerdotes urbis aeternae atque Italiae utraque ex parte legati; expectabatur ex omnium auctoritate sententia informatura regulam disciplinae (integrum nempe esse debuerat neque quicquam novari, dum definitio deliberata procederet): cum interea mirum quoddam praecipitium festinationis exarsit, ut non expectatis litteris sacerdotum qui fuerant mutua partium legatione consulti, non examinatis rebus in exilium truderentur antistites animadversioni prius dediti quam sententiam iudicii episcopalis experti. Denique quam immatura illa damnatio fuerit, res probavit. Namque hi, quorum expectabatur auctoritas, pacifica Ioanni episcopo communionem permissa sancendam concordiam censuerunt nec quemquam putarunt ante iudicium consortio repellendum.

Quid nunc aliud superest, quam ut catholicam fidem schismata in diversum dissociata dilacerent, quam ut haereses communioni semper inimicae ex tanta gestarum rerum varietate nascantur, ut iam populo paene non debeat imputari, si forte in dissonas partes sectarum diversitate discedat, cum ex auctoritate publica discordiarum materies sit praemissa et fomes quidam nutriendae seditionis animatus? Quod ne in magnam aliquam generis humani perniciem recrudescat, vota facienda sunt, ut ad humanas prolapsiones patiens deus rem male gestum prosperet ac secundet. Nam, quantum in nobis est, possumus timere, quod gestum est: quantum ad pietatem semper placabilis dei, non erit meriti impunitas indulta sed veniae.

405 Arcadius - Honorius - Theodosius (2)

Pharr pp.477-478 / Coleman-Norton no.288

Mommsen 1904, pp.908-09 (Constitutiones Sirmondianae, no.2).

Excerpt in Cod.Theod.16.2.35 (4.Feb.400(405))

Imppp. Arcadius, Honorius et Theodosius aaa. Hadriano praefecto praetorio.

Ut veneratio sacerdotibus debetur innoxiiis, ita et poena moderata inquietis adque deiectis. Quemadmodum enim deo servientes et divini sacerdotii integritate lucentes non solum vitam suam proprio praestant ornamento, sed etiam subiectae plebis atque oboedientis exemplo, ita hi, quorum indigniora sunt sub integritatis professione peccata, si exclusi degradatique ab episcopis comprobentur, qui resupinos spiritus adversum definita rettulerint, separati ab his urbibus, quas errore proprio tenuerunt, et sibi debent esse reperti et aliis constituta ablegatione terrori. Plurimos enim bonos faciunt et veneratio optimorum sacerdotum et notabilis reprehensio pessimorum. Suggestentibus episcopis didicimus quosdam sacerdotes christianae legis, quorum delicta coetu episcopali et deprehensa fuerint et eorum sententia vindicata, in sinu earum urbium, in quibus talia commissa sunt, permanere et quaerere turbas populi, convocare turbatores quietis, existere tumultus popularis auctores, innocentes se post iudicium dicere, plebem colligere et velut adhuc episcopos saluari, comitatum sacrum petere, mereri mendaciis oracula et furtiva rescripta. Sancimus itaque hac lege, ut quicumque residentibus sacerdotibus fuerit episcopali loco detrusus et nomine, si aliquid vel contra sententiam vel contra quietem moliri fuerit deprehensus rursusque sacerdotium petere, a quo videtur exclusus, procul ab ea urbe, quam indignus infecit, secundum legem divae memoriae Gratiani centum milibus vitam agat. Sit ab eorum coetibus separatus, a quorum est societate discretus; careat urbe, quam tenuit, segregetur a plebe, quam mentitus vitae praeceptor infecit. Sit huiusmodi personis tenore huius legis illicitum sacra nostra adire secreta et impetrare rescripta: omnia abiectis per culpam sacerdotio personis quae impetrata sunt vel quae impetrata fuerint infecta permaneant: scituris his, quorum defensione nituntur, absque sui reprehensione non futurum, si hoc eis polliceantur suffragium, qui divinum non videntur meruisse iudicium, [*Quicumque residentibus sacerdotibus fuerit episcopali loco detrusus et nomine, si aliquid vel contra custodiam vel contra quietem publicam moliri fuerit deprehensus, rursusque sacerdotium petere, a quo videtur expulsus, procul ab ea urbe, quam infecit, secundum legem divae memoriae Gratiani, centum milibus vitam agat. Sit ab eorum coetibus separatus, a quorum est societate discretus, sitque huius modi personis, tenore huius legis, illicitum, sacra nostra adire secreta et impetrare rescripta; omnibus abiectis per culpam sacerdotio personis, quae impetrata sunt, infecta permaneant: scituris his, quorum defensione nituntur, absque sui reprehensione non futurum, si hoc eis pollicentur suffragium, qui divinum non videntur meruisse iudicium.*16.2.35]

Hadriane parens carissime atque amantissime. Hanc igitur legem sublimis magnificentia tua cunctas per dioceses sibi creditas publicabit edictis, ut id, quod pro quiete repertum, pro iudicii episcopalis confirmatione constitutum, pro reprimendis culpis inventum est, ab omnibus excolatur, a sacerdotibus reservetur.

Data pridie nonas Februarias Ravennae Stilichone II cons. <4.Feb.405>

407 Honorius - Theodosius (2)

Pharr pp.482-483 / Coleman-Norton no.301

Mommsen 1904, pp.916-17 (Constitutiones Sirmondianae, no.12).

Excerpts in Cod.Theod.16.5.43 (15Nov.408(407)) & Cod.Theod.16.10.19 (15Nov.408(407))

Impp. Honorius et Theodosius augg. Curtio praefecto praetorii.

Profanos haereticorum spiritus superstitionemque gentilium vel sola quidem religiosorum virorum sacerdotum dei in observandis sollicitudo criminibus, sedulitas in monendo, auctoritas in docendo emendare debuerat. Nec nostrarum tamen legum scita cessarunt, quae in dei omnipotentis cultum poenae etiam terrore proposito reducerent deviantes, ignaros quoque in ministeria divina formarent. Sed nimirum ipsa vis mali humana pariter ac divina permiscens deceptos plerosque persuasionibus pravis tam in praesens quam in futurum impellit exitium et deo simul ac nobis perdit infelicitium vitas, quas et hic legibus dedit et illic cogit ferre iudicium.

Compulsi igitur Donatistarum pertinacia, furore gentilium, quae quidem mala desidia iudicum, coniventia officiorum, ordinum contemptus accendit, necessarium putamus iterare quae iussimus. Quapropter omnia, quae in Donatistas, qui et Montenses vocantur, Manichaeos sive Priscillianistas vel in gentiles a nobis generalium legum auctoritate decreta sunt, non solum manere decernimus, verum in executionem plenissimam effectumque deduci, ita ut aedificia quoque vel horum vel Caelicolarum etiam, qui nescio cuius dogmatis novi conventus habent, ecclesiis vindicentur.

Poenam vero lege proposita velut convictos tenere debet eos, qui Donatistas se confessi fuerint vel catholicorum sacerdotum scaevae religionis obtentu communionem refugerint, quamvis Christianos esse se simulent. [*Omnia, quae in Donatistas, qui et Montenses vocantur, Manichaeos sive Priscillianistas vel in gentiles a nobis generalium legum auctoritate decreta sunt, non solum manere decernimus, verum in executionem plenissimam effectumque deduci, ita ut aedificia quoque vel horum vel Caelicolarum etiam, qui nescio cuius dogmatis novi conventus habent, ecclesiis vindicentur. Poena vero lege proposita veluti convictos tenere debet eos, qui Donatistas se confessi fuerint vel catholicorum communionem refugerint scaevae religionis obtentu, quamvis Christianos esse se simulent. Et cetera. 16.5.43]*

Iam vero templorum detrahantur annonae et rem annonariam iuvent expensis devotissimorum militum profuturae. Simulacra, si qua etiam nunc in templis fanisque consistunt et quae aliquem ritum vel acceperunt vel accipiunt paganorum, suis sedibus revellantur, cum hoc repetita sciamus saepius sanctione decretum.

Aedificia ipsa templorum, quae in civitatibus vel oppidis vel extra oppida sunt, ad usum publicum vindicentur.

Arae locis omnibus destruantur omniaque templa in possessionibus nostris ad usus adcommodos transferantur, domini destruere cogantur.

Non liceat omnino in honorem sacrilegi ritus funestioribus locis exercere convivia vel quicquam sollemnitatis agitare.

Episcopis quoque locorum haec ipsa prohibendi ecclesiasticae manus tribuimus facultatem. [*pr. Post alia: templorum detrahantur annonae et rem annonariam iuvent expensis devotissimorum militum profuturae. Simulacra, si qua etiam nunc in templis fanisque consistunt et quae alicubi ritum vel acceperunt vel accipiunt paganorum, suis sedibus evellantur, cum hoc repetita sciamus saepius sanctione decretum. Aedificia ipsa templorum, quae in civitatibus vel oppidis vel extra oppida sunt, ad usum publicum vindicentur. Arae locis omnibus destruantur omniaque templa in possessionibus nostris ad usus adcommodos transferantur; domini destruere cogantur. Non liceat omnino in honorem sacrilegi ritus funestioribus locis exercere convivia vel quicquam sollemnitatis agitare. Episcopis quoque locorum haec ipsa prohibendi ecclesiasticae manus tribuimus facultatem, 16.10.19]*

Nam et agentum in rebus executionem Maximi, Iuliani, Eutychi, ut ea, quae generalibus legibus contra Donatistas, Manichaeos adque huiusmodi haereticos vel gentiles statuta sunt, impleantur, indulsumus. Qui tamen scient in omnibus modum statutorum esse servandum, ut ea,

quae contra vetitum videntur esse commissa, mox iudicibus iuxta vim legum deferant vindicanda. Quos quidem viginti librarum auri poena statutae dudum multae constringet, pari multa officiis ordinibusque proposita, si haec quae statuimus eorum fuerint dissimulatione neglecta, [*iudices autem viginti librarum auri poena constringimus et pari forma officia eorum, si haec eorum fuerint dissimulatione neglecta. 16.10.19*] Curti parens carissime adque amantissime.

Quod ad continendos hominum mores religionemque provisum et ad rectores provinciarum sublimis magnificentia tua faciet pervenire et digno per omnes iubebit vigore servari.

Data VII kal. Decemb. Romae, <25.Nov.407>

Proposita Carthagine in foro sub programme Porphyrii proconsulis nonis Iuniis Basso et Filippo vv. cc. cons. <5.Jun.408>

407-408 Arcadius - Honorius

Migne 1844f, v.20, cols.633-634.

Arcadii imperatoris ad Innocentium papam.

Omnino, o pontifex dei, nequidquam eorum, quae in legatos e audacter perpetrata sunt, sciente me factum est: idque ex eo perspicitur potest, quod eos a quibus illa orta sunt, severe ultus sum. Neque quod magnus ille Ioannes depositus sit, ulla in me culpa eius rei haeret, sed infelicibus episcopis, quod scilicet cum sacros canones praetenderent, iudicium depositionis illius in sua ipsorum profana capita converterunt, quorum sermone nescio quomodo inductus, etiam ipse eorum sententiae, quod utinam numquam fecissem, assensus sum. Quo fit ut ipsi magis in culpa sint. Ex quibus et qui adhuc his exstant, Acacium et Severianum, et eos qui sceleratum Theophilum secuti stant, ut quanta maxima celeritate, comprehendi iussimus, et eos qui illic sunt, ut poenas dent ausibus suis debitas. Nobis autem placet paterna humanitas tua: neque deseras nos expertes mysteriorum incontaminatorum. Tunc etiam filiam tuam Eudoxiam quae peccaverit ultus sum, quae etiam ex his gravissimo morbo correpta in lectulo decumbit. Ne igitur saepius poenas sumas, o reverendissime pater: neque enim dominus in eadem bis poenas sumit, ut scriptum est. Ubi autem erit poenitentiae bonum, nisi iis quos poeniteat venia tribuatur? Igitur si nos quidem ex poenitentibus non essemus, merito aditus ad veniam clauderetur: et si accusavimus et condemnavimus nos ipsos ab iis quae male egimus; ne bono quidem poenitentiae, quod quidem venia est, excidamus.

407-408 Arcadius-Honorius

Mansi 1758f, v.3 (347-409) cols.1119-1122; Migne 1844f, v.20, col.633-634.

Arcadii imperatoris ad Innocentium papam.

Norunt omnes homines mentis compotes, commissa per ignoracionem nec divinitus nec per leges puniri: sed neque quemquam alterius nomine poenas luere. Quocirca haec scripsi, ut mansuetudinem tuam certam redderem (cuius rei benignum deum testem imploro), me nihil eorum cognitum habuisse, quae nostris antistitibus et clericis acciderunt, et damnationis eorum prorsus esse insontem. Cum enim eorum communione sim usus, nihil causae erat cur eos affligerem. Quod autem ad filiam tuam Eudoxiam attinet, scito me haud mediocres ab ea pro ratione delicti poenas exegisse, ita ut prae huiusmodi moerore et angustia, gravis simo correpta morbo decumbat. Caeterum obsecro ut nos a segregatione liberes, ac ne multipliciter panias. Nec enim ipse dominus bis idem delictum percutit.

408 Arcadius-Honorius

Mansi 1758f, v.3 (347-409) cols.1123-1124.

Honorii Augusti ad Arcadium imperatorem fratrem epistola.

Haud scio quaenam perduellis, et diabolica potestas tibi suaserit, frater, ut mulieri te committeres, eaque faceres, quae nullus alius Christianorum pius imperator fecit. Nam hic

quoque religiosissimi episcopi adversus imperium vestrum clamant, qui magnum illum dei pontificem Ioannem, nullo interveniente iudicio, et contra canones ab episcopatus solio remotum, et acerbissimis exiliis, ac intolerabilibus iniuriis subiectum, vita per vim spoliaveritis, ac vicarios ecclesiae Romanae, ad honorem vestrum, et iusti iudicii confirmationem missos, quique literas hinc ad utilitatem omnium perferebant, nulla humanitate exhibita, diversis custodiis incluseritis, ac fame enecaveritis, atque etiam nummos, quos secum viatici nomine ad usum corporis ferebant; eis adimi praeceperitis nulla ipsorum habita ratione, deum contra vos implorantium, atque gementium. Praeterea spretis apostolicis praeceptis religiosos episcopos irreligiose removens ab officio, ac infinitis inique multantes afflictionibus, et exiliis, alios pro eis indignos indignum in modum in solia collocastis. Quamobrem enitere, mi frater, ut non verbis sed factis, tam deo quam hominibus correctione non recte perpetratorum satisfacias: atque etiam ipse certo statuas, sacerdotum precibus imperium nostrum fulciri ac dirigi. Vale.

408 Arcadius-Honorius

Mansi 1758f, v.3 (347-409) cols.1125-1126.

Arcadii Augusti epistola.

Nihil omnino, dei pontifex, eorum mihi notum fuit, quae in legatos admissa fuerunt, idque manifestum ex eo est, quod auctores facinoris non negligenter ultus sum, nec ob latam de magni illius Ioannis abdicatione sententiam culpandus venio, sed viles illi episcopi qui canones ecclesiasticos praetexendo, iudicium de ipso diris devovendo in prophana capita sua receperunt, quorum sane rationibus et ipse, nescio quomodo, per surreptionem circumventus; ipsorum (quod minime factum oportuit) impiissimae sententiae sum adsensus. Quo fit, ut illi magis, quam nos, rei sint; ex quibus illos etiam, qui adhuc apud nos haerebant, Acacium et Severianum, et illius improbi Theophili cognatos, ad sanctitatem tuam misi. Scribam et Theophilo, ut huc summa, cum celeritate se conferat, poenas ausis suis competentes luiturus. Nostro autem nomine paterna humanitas tua sit exorata, nec inviolabilium mysteriorum nos exortes relinquant. Nam ecce de filia quoque tua Eudoxia ratione admissorum vindictam sumpsi, quae propterea gravissimas in aegritudines lapsa, decumbit in lecto. Non igitur ultiones plures sumas, carissime pater. Quippe ne ipse quidem dominus bis unum facinus vindicat, uti perscriptum legimus. Et quo tandem poenitentiae bonum, si venia resipiscentibus non impetratur? Quod si de numero poenitentiam agentium essemus, haud abs re nobis etiam veniae spes clausa foret: sin ipsi primi nosmet damnavimus ob ea quae nequiter admisimus, non etiam bono poenitentiae, nimirum remissione frustremur.

408 Arcadius - Honorius

Pharr p.481 / Coleman-Norton no.307

Mommsen 1904, p.914 (Constitutiones Sirmondiana e, no.9)

Excerpt in Cod.Theod.16.2.39 (27.Nov.408) - Arcadius died 1.May.408

Imp. Arcadius et Honorius augg. Theodoro iterum praefecto praetorii.

Utinam quidem ii tantum clericorum nomen induerent, quorum in deteriore partem relabi vita non possit. Esset laetitia communis et facile pios ritus cultusque divinos veneratio humana sequeretur. Sed facile vitia subrepunt, ut illuc etiam error irreat, ubi esse nisi pura non possunt. Et si censura iudicii sacerdotalis in specula provideat, ut inter bonos non sint, qui boni esse non possunt; ne tamen crimina deprehensa luxurient et sit libera peccantibus pertinacia, placet, ut quemcumque clericum indignum officio suo episcopus iudicavit et ab ecclesiae ministerio segregaverit, aut qui professum sacrae religionis obsequium sponte dereliquerit, continuo eum curia sibi vindicet, ut liber illi ultra ad ecclesiam recursus esse non possit et pro hominum qualitate vel quantitate patrimonii vel ordini suo vel collegio civitatis adiungat, modo ut quibuscumque apti erunt publicis necessitatibus obligentur, ita ut colludicatio quoque locus non sit: ut per singulos binae librae auri inferendae aerario nostro a decem primis curialibus exigantur, si alicui illicitam conventiam et colludicia foeda praestiterint, omnisque hominibus improbissimis ab

omnibus officiis militiae aditus obstruatur. [*Quemcumque clericum indignum officio suo episcopus iudicaverit et ab ecclesiae ministerio segregaverit, aut si qui professum sacrae religionis obsequium sponte dereliquerit, continuo eum curia sibi vindicet, ut liber illi ultra ad ecclesiam recursus esse non possit, et pro hominum qualitate et quantitate patrimonii vel ordini suo vel collegio civitatis adiungatur: modo ut quibuscumque apti erunt publicis necessitatibus obligentur, ita ut colludio quoque locus non sit. Per singulos igitur binae librae auri inferendae aerario nostro a decemprimis curialibus exigantur, si aliquibus illicitam conventiam et colludia foeda praestiterint, hominibusque improbissimis ab omnibus officiis militiae aditus obstruatur. 16.2.39] Nusquam enim fidi esse possunt, quos infideles deo summo ecclesia refutaverit, theodore parens carissime adque amantissime. Quod inlustris magnificentia tua in omnium notitiam datis ad singularum iudices provinciarum litteris faciet pervenire, ut universis id proposita sollemniter edicta declarent.*

Data V kal. Decemb. Ravennae Basso et Filippo vv. cc. cons. <27.Nov.408>

408 Honorius - Theodosius (2)

Pharr p.486 / Coleman-Norton no.308

Mommsen 1904, pp.920-21 (Constitutiones Sirmondianae, no.16).

Excerpt in Cod.Theod.5.7.2 (10.Dec.409(408))

Imp. Honorius ad Theodorum II praefectum praetorii.

Punitis auctoribus mali publici laesorum quidem dolori dedimus ultionem, sed provincialibus nostris libertatis restituendae festinatione sentimus uno eodemque tempore armis et legibus consulendum. Hinc denique bellorum curis mixta ratio et salubris constitutio admonuit faciendum, ut diversarum homines provinciarum cuiuslibet sexus condicionis aetatis, quos barbaricae feritatis discursus captiva necessitate transduxerat, invitos nemo retineat, sed ad propria redire cupientibus libera sit facultas. Quibus si quicquam in usum recuperandarum virium vestium vel alimoniae dicatur impensum, humanitati sit praestitum, nec maculet boni facti gloriam avara victualis sumptus repetitio, cum forsitan alimoniae istius mercedes operarum reddiderit compensatio. Quod in examen venire non patimur, ne ad propria redire cupientes indecoris contentionibus retardentur: exceptis his, quos quis barbaris vendentibus emisse docebitur, a quibus status sui pretium propter utilitatem publicam emptoribus aequum est redhiberi: ne ingentis damni consideratio in tali necessitate positus negari faciat emptionem, [*pr. Diversarum homines provinciarum cuiuslibet sexus, condicionis, aetatis, quos barbarica feritas captiva necessitate transduxerat, invitos nemo retineat, sed ad propria redire cupientibus libera sit facultas. Quibus si quicquam in usum vestium vel alimoniae impensum est, humanitati sit praestitum, nec maneat victualis sumptus repetitio: exceptis iis, quos barbaris vendentibus emptos esse docebitur, a quibus status sui pretium propter utilitatem publicam emptoribus aequum est redhiberi. ne quando enim damni consideratio in tali necessitate positus negari faciat emptionem, 5.7.2]* et inveniamur, quorum libertati consuli volumus, saluti potius obfuisse. Hos deceat aut datum pro se pretium emptoribus restituere, aut labore, obsequio vel opere quinquennii vicem referre beneficii, habituros incolumem, si in ea nati sunt, libertatem. [*deceat redemptos aut datum pro se pretium emptoribus restituere aut labore, obsequio vel opere quinquennii vicem referre beneficii, habituros incolumem, si in ea nati sunt, libertatem. 5.7.2].*

Nec honestas emptoribus quinquennii tempus ad compensationem maioris forsitan pretii datum ingemiscat exiguum, quia humanae vitae fragilitas forte intra metas potest temporis constituti deficere nec ad legis beneficium pervenire. Credant saltem perditum casibus, quod humanitate detulerint, licet humana misericordia deo iudice quod alteri tribuit, sibi praestet.

Quapropter servata definitione legis, cuius moderationem placere non dubium est, reddantur sedibus propriis, quibus iure postliminii et veterum responsis prudentium incolumia cuncta servata sunt. Quam sanctionem adeo volumus custodiri, ut, si quisquam temeritate sacrilega praeceptis fuerit conatus obsistere, actor et conductor procuratorque, qui ad tuendam absentis domini possessionem esse detegitur, dari se metallo aut poenam deportationis non ambigat subiturum. Si vero possessionis dominus contra mansuetudinis nostrae salubre constitutum venire temptaverit, rem suam fisco noverit vindicandam seque per rectoris provinciae sententiam deportandum. Et ut facilis executio proveniat imperatis, christianae sacerdotes, vicinorum et proximorum locorum ecclesias retinentes, quorum moribus congruit effectus talium praeceptorum, curiales quoque proximarum civitatum placuit admoneri, ut emergentibus talium

necessitatum causis adeant iudices legis nostrae auxilium petitori. [Reddantur igitur sedibus propriis sub moderatione, qua iussimus, quibus iure postliminii etiam veterum responsis incolumia cuncta servata sunt. Si quis itaque huic praecepto fuerit conatus obsistere actor, conductor procuratorque, dari se metallis cum poena deportationis non ambigat; si vero possessionis dominus, rem suam fisco noverit vindicandam seque deportandum. Et ut facilis exsecutio proveniat, christianos proximorum locorum volumus huius rei sollicitudinem gerere. curiales quoque proximorum civitatum placuit admoneri, ut emergentibus talibus causis sciant, legis nostrae auxilium deferendum, 5.7.2]

Et ne quis contumaciae suae culpam praecepti ignoratione tueatur, Theodore parens carissime adque amantissime, inlustris magnificentia tua legis tenorem litteris suis edictisque propositis ad omnium iudicum et provincialium notitiam faciet pervenire, ita ut noverint rectores universi decem libras auri a se et tantundem ponderis a suis apparitoribus exigendum, si quod praeceptum est, in gratiam cuiuspiam neglectum esse doceatur. [ita ut noverint rectores universi, decem libras auri a se et tantundem a suis apparitionibus exigendum, si praeceptum neglexerint. 5.7.2] cum saluberrimae sanctionis executionem deferri ab omnibus quidem, sed iudicum maxime et officiorum cura obsequioque iubemus.

Data III non. Decemb. Ravennae Basso et Filippo vv. cc. cons. <3.Dec.408>

Accepta XVI kal. Ianuarias. <17.Dec.408>

409 Honorius - Theodosius (2)

Pharr pp.484-485 / Coleman-Norton no.310

Mommsen 1904, pp.918-19 (Constitutiones Sirmondianae, no.14).

Excerpts in Cod.Theod.16.2.31(25.Apr.398 (13.Jan.409)) & Cod.Theod.16.5.46 (15.Jan.409)

Imp. Honorius et Theodosius Theodoro viro ill. praefecto praetorii.

Dubium non est coniventia iudicum fieri et culpabili dissimulatione inultum relinqui, quod ad turbendam quietem publicam in contemptum christianae religionis, quam debito cultu veneramur, sub publica testificatione commissum addiscimus et pariter non punitum. Vicina peccato in iudice dissimulatio est, quem ignoratio commissi criminis non defendit.

Per provinciam africanam tantum quorundam temeritati licuisse comperimus, ut christianae legis antistites de propriis domibus raptos vel, quod est atrocius, de ecclesiae catholicae penetralibus protractos cruciatibus diversis afficerent, alios vero ad solam divini cultus iniuriam avulsa capillorum parte foedatos vel alio iniuriae genere deformatos concurrentium speculis exhiberent, ut esset circa eos venia gravior, quorum saluti contemptus ignoverat.

Tanti sceleris nefas et immane flagitium numquam ante compertum Africanorum iudiciorum auctoritas nec creditae sibi potestatis iure persequitur nec debita cura referendi in nostram fecit notitiam pervenire. Ignorari ab his potuisse non credimus, quod commissum in civitatibus publice memoratur, quod iugis et magistratum et ordinum cura, stationarii apparitoris sollicitudo, quae ministra est nuntiorum atque indicium, absentiae exhibet potestatum. Licet enim insinuare levia, graviora reticere? Non tacuissent, quod propriis innotescere rectoribus per alterum formidarent, nisi intellegent nolle iudicem vindicare. Expectandum fuit institutis accusationibus contra professionis propriae sanctitatem, ut episcopi suas persequerentur iniurias et reorum nece deposcerent ultionem, quos invitos decet vindicari? Deducitur in hanc necessitatem veniae persuasor alienae, praeceptor indulgentiae, ut de se aut ipse tractasse videatur, quod et petenti alius non negaret, aut praeceptis obsecuturus sacerdotii criminorum vi impunitae subiaceat. Episcopos et alios ecclesiae catholicae ministros nisi aut vigor potestatum aut fides iudicum laudabili auctoritate tueatur, erunt addicti audaciae pessimorum.

Quapropter iubemus, ut eos, qui talia commisisse dicuntur, diversorum per africanam iudicum sine innocentum laesione requirat auctoritas, ac proprio exhibitos examini, si convinci manifesta probatione cognoverit, cuiuslibet dignitatis et honoris reos probatos aut metallo tradat aut poenam deportationis subire compellat, facultatibus eorum fisco nostro sociatis, ut habeant vitam sibi clementiae nostrae more concessam, quae similibus non donabitur tempore futuro criminibus.

Si quidem praesentis legis aeternitate cunctis observanda constituimus, Theodore parens carissime adque amantissime, quod inlustris magnificentiae tuae praelatum litteris, proponendum

edictis, in omnium volumus notitiam pervenire: ut, si quisquam in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in ecclesias catholicas irruens sacerdotibus et ministris vel ipsi cultui locoque aliquid importet iniuriae, quod geretur, litteris ordinum, magistratuum et curatoris et notoriis apparitorum, quos stationarios appellant, deferatur in notitiam potestatum, ita ut vocabula eorum, qui agnosci potuerint, declarentur. Et si per multitudinem commissum dicitur, si non omnes, possunt tamen aliquanti cognosci, quorum confessione sociorum nomina publicentur.

Adque ita provinciae moderator, sacerdotum et catholicae ecclesiae ministrorum, loci quoque ipsius et divini cultus iniuriam capitali in convictos vel confessos reos sententia noverit vindicandam nec expectet, ut episcopus iniuriae propriae ultionem deposcat, cui sacerdotii sanctitas ignoscendi solam gloriam derelinquit. Sitque cunctis non solum liberum, sed etiam laudabile, factas sacerdotibus vel ministris atroces iniurias velut publicum crimen persequi ac de talibus reis ultionem mereri, [Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in ecclesias catholicas irruens sacerdotibus et ministris vel ipsi cultui locoque aliquid importet iniuriae, quod geritur litteris ordinum, magistratuum et curatorum et notoriis apparitorum, quos stationarios appellant, deferatur in notitiam potestatum, ita ut vocabula eorum, qui agnosci potuerint, declarentur. Et si per multitudinem commissum dicitur, si non omnes, possunt tamen aliquanti cognosci, quorum confessione sociorum nomina publicentur. Adque ita provinciae moderator sacerdotum et catholicae ecclesiae ministrorum, loci quoque ipsius et divini cultus iniuriam capitali in convictos sive confessos reos sententia noverit vindicandam nec expectet, ut episcopus iniuriae propriae ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi solam gloriam dereliquit. Sitque cunctis non solum liberum, sed et laudabile factas atroces sacerdotibus aut ministris iniurias veluti publicum crimen persequi ac de talibus reis ultionem mereri. 16.2.31] ut hac saltem ratione, quod agi adversum se per episcopum non posse confidit, at aliorum accusationibus malorum audacia pertimescat.

Et si multitudo violenta civilis apparitionis executione et adminiculo ordinum possessorumve non potuerit praesentari, quod se armis aut locorum difficultate tueantur, iudices Africani armatae apparitionis praesidium, datis ad virum spectabilem comitem africae litteris praelato legis istius tenore deposcent, ut rei talium criminum non evadant. [Quod si multitudo violenta civilis apparitionis executione et adminiculo ordinum possessorumve non potuerit praesentari, quod se armis aut locorum difficultate tueatur, iudices Africani armatae apparitionis praesidium, datis ad virum spectabilem comitem Africae litteris, praelato legis istius tenore deposcant, ut rei talium criminum non evadant. 16.2.31]

Et ne Donatistae vel ceterorum vanitas haereticorum aliorumque eorum, quibus catholicae communionis cultus non potest persuaderi, iudaei adque gentiles, quos vulgo paganos appellant, arbitrentur legum ante adversum se datarum constituta tepuisse, noverint iudices universi praeceptis earum fideli devotione parendum et inter praecipua curarum, quidquid adversus eos decrevimus, exequendum.

Si quisquam iudicum peccato coniventiae, dissimulandi arte, executionem praesentis legis omiserit, noverit amissa dignitate graviolem motum se nostrae clementiae subiturum, officium quoque suum, quod saluti propriae contempta suggestioni defuerit, punitis tribus primatibus condemnationi viginti librarum auri subdendum.

Ordinis quoque viri, si in propriis civitatibus vel territoriis commissum tale aliquid siluerint gratia obnoxiorum, deportationis poenam et propriarum amissionem facultatum se noverint subituros. [Post alia: ne donatistae vel ceterorum vanitas haereticorum aliorumque eorum, quibus catholicae communionis cultus non potest persuaderi, iudaei adque gentiles, quos vulgo paganos appellant, arbitrentur legum ante adversum se datarum constituta tepuisse, noverint iudices universi praeceptis earum fideli devotione parendum et inter praecipua curarum quidquid adversus eos decrevimus non ambigant exsequendum. Quod si quisquam iudicum peccato coniventiae executionem praesentis legis omiserit, noverit amissa dignitate graviolem motum se nostrae clementiae subiturum, officium quoque suum, quod saluti propriae contempta suggestioni defuerit, punitis tribus primatibus condemnatione viginti librarum auri plectendum. Ordinis quoque viri si in propriis civitatibus vel territoriis commissum tale aliquid siluerint in gratiam noxiorum, deportationis poenam et propriarum amissionem facultatum se noverint subituros. 16.5.46]

Data XVIII kal. Februar. dd. nn. Honorio VIII et Theodosio V aug. cons. Ravenna. <15.Jan.409>

Hänel 1857, no.1163 p.237; Mansi 1758f, v.4 (410 - 431) cols.53-54, also cols.186-187; Migne 1844f, v.11. cols.1260-1261 (*Gesta collationis Carthaginensis: Gesta prima*), also v.43, cols.816-817.

Excerpt in Cod.Theod.16.11.3 (Ravenna, 14.Oct.410)

Imperatores Caesares Flavius Honorius et Theodosius Pii, Felices, Victores ac Triumphatores, Augusti, Flavio Marcellino suo salutem.

Inter imperii nostri maximas curas catholicae legis reverentia, aut prima semper aut sola est. Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut verum dei cultum orbis nostri plebs devota custodiat: ut etiam Donatistas vel terrore vel monitu olim implere convenerat, qui Africam, hoc est regni nostri maximam partem, et saecularibus officiis fideliter servientem, vano errore et dissensione superflua decolorant. Nos tamen eadem frequentius non piget replicare, quae omnium retro principum devota in deum definivit auctoritas, ne temporibus nostris, si quid forte in iniuriam legis catholicae fuerit generatum, iusto iudicio hoc nobis possit imputare posteritas. Nec sane latet conscientiam nostram sermo coelestis oraculi, quem errori suo posse proficere scaeva Donatistarum interpretatio profitetur, qui quamvis depravatos animos ad correctionem mitius invitaret, aboleri eum tamen etiam ante iussimus, ne qua superstitionibus praestaretur occasio. Nunc quoque excludendam subreptionem simili auctoritate censemus. Illudque merito profiteamur, libenter nos ea, quae statuta fuerant, summovere, ne in divinum cultum nobis se quisquam auctoribus aestimet posse peccare.

Et quamvis una sit omnium et manifesta sententia, catholicae legis plenam veritatem recto hominum cultu et coelesti sententia comprobata, studio pacis et gratiae, venerabilium virorum episcoporum legationem libenter admisimus, quae congregari Donatistas episcopos ad coetum celeberrimae desiderat civitatis, ut electis etiam sacerdotibus, quos pars utraque delegerit, habitis disputationibus, superstitionem ratio manifesta confutet. Quam rem intra quattuor menses praecipimus explicari, ut conversos animos populorum etiam clementia nostra, sicut desiderat, celerius possit cognoscere. Quod si intra praestitutum tempus edicti studiose Donatistarum episcopi declinaverint convenire, trini edicti vocatione contumacium tempora concludantur. Quibus emensis atque transactis si provocati adesse contempserint, cedat cum ecclesiis populus, qui doctores suos silentio cognoverit superatos, ut victum se aliquando gratuletur, sciatque, si non praeceptis nostris, vel catholicae legis veris imperiis serviendum.

Cui quidem disputationi principe loco te iudicem volumus residere. Quidquid etiam ante in mandatis acceperis, plenissime meministi, omnemque vel in congregandis episcopis, vel evocandis, si adesse contempserint, curam te volumus sustinere: ut et ea, quae ante mandata sunt, et quae nunc statuta cognoscis, probata possis implere solertia; id ante omnia servaturus, ut ea, quae circa catholicam legem, vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel nostra serenitas roboravit, novella subreptione sumkota, integra et inviolate custodias [*Ea, quae circa catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit vel nostra serenitas roboravit, novella superstitione subkota integra et inviolata custodiri praecipimus. 16.11.3*].

Ut sane adminicula competentia actibus tuis deesse non possint, viros spectabiles proconsulem atque vicarium serenitas nostra commovit, ut, si propriarum dignitatum statum cupiunt retinere, si apparitionem suam extrema declinare supplicia, tam ex propriis officiis, quam ex omnium iudicum apparitione, abunde necessarios faciant deputari. Erit iam sollicitudinis tuae, si quid ulla cognoveris arte differri, missis relationibus indicare, ut negligentes puniat digna correctio.

Omnia sane, quae vel in unum episcopis congregatis, disputatio completa firmaverit, vel desistentibus forte statuerit circa contumaces lata sententia, te conferre conveniet, ut quid ad confirmandam catholicam fidem praeceptio nostra profecerit, celerius possumus agnoscere.

Et divina manu: Vale, Marcelline, carissime nobis.

Data pridie Idus Octobr. Ravennae. <14.Oct.410>

411 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.325

Migne 1844f, v.11. cols.1261-1263 (Gesta collationis Carthaginensis: Gesta prima), also v.43, cols.817-819.

Edictum Marcellini primum.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit: Recitata venerabilis lex gestis praesentibus inseratur, cuius definitio evidenter apparuit, unde nunc edictorum meorum per ordinem forma recitetur. Martialis exceptor recitavit:

Quid clementissimus princeps dominos noster Honorius pro catholicae fidei confirmatione decreverit, antelatorum apicum tenore monstratur: legationem siquidem venerabilium episcoporum libenter accipiens Africam suo devotam semper imperio vario religionum genere diutius inquietari decolorarique non passus est: studio namque pacis et fidei tantorum dissidia populorum ex antiqua persuasione venientia veritatis voluit manifestatione sedari, ut quos sedare principalibus a se sanctionibus prorogatis ac trahi ad unam fidei sententiam non posse pervidit, habita utrarumque partium disceptatione revocaret.

Cunctos etenim tam Catholicae quam Donatianae partis episcopos in unum voluit congregari, ut lectis ab utraque parte peritioribus viris, certae fidei veritate discussa, superstitionem ratio manifesta convincat: quatenus quicquid illud est quod pro suis partibus aestimat unusquisque posse competere, proferatur in medium, et sic germanae, vel sero, fidei lux clarescat. Consona siquidem utriusque partis petitio ad hanc principem sententiam provocavit. Nam sicut a Catholicis imper collatio postulata est; sic ante brevissimum tempus Donatistarum episcopos in iudicio illustrium potestatum collationem postulasse non dubium est. Et quoniam libenter assensum tribuit clementia principalis, et concilium fieri intra Africam universale decrevit utriusque partis iuxta poscentibus, huic me disputationi principe loco iudicem voluit residere.

Unde cunctos per Africam tam Catholicae quam Donatianae partis episcopos huius edicti tenore commoneo, ut intra tempus lege praescriptum, id est intra quatuor menses, qui dies intra diem kalendarum luniarum sine dubio concludetur, ad civitatem splendidam Carthaginensem concilii faciendi gratia convenire non differant, ne eam partem de merito propriae fidei appareat iudicasse, quam defuisse constiterit.

Universos etiam cunctarum provinciarum curatores, magistratus et ordinis viros, necnon et actores, procuratores, vel seniores singularum locorum, pari admonitione convenio, sub propriae existimationis dignitatis reatu salutisque periculo, quatenus in civitatibus locisque in quibus consistunt utriusque partis episcopos convenire, vel sub gestorum confectione, vel sub cuiuslibet scripturae documento exstante, festinent: ita ut si ipso in tempore in civitatibus non potuerint inveniri, per rura etiam perquisitis tam imperialis, praecepti forma, quam tenor huius innotescat edicti, quatenus intra hos quatuor menses ordinum relatione cognoscam, singularum partium voluntatem.

Illud etiam scire Donatianae partis episcopos volo, si quis eorum affuturum se esse responderit, ecclesiam sibi primitus cum omni iure suo quae forte a Catholicis iuxta praeceptum imperiale retinetur, sine aliqua dilatione per viros ordinis mox tradendam.

Si vero omnes vel singuli in locis suis positi se adfuturos esse responderint, et ecclesias et ea loca quae eorum fuisse vel eos tenuisse constiterit, per supradictorum ordinum instantiam eorum iuri dominioque reddenda, ut reformato iisdem primitus statu, disputationis inchoetur initium.

Et quoniam tanti mihi negotii summam committere voluit augustissimus princeps, illud me quoque fateor libenter accipere, ut si de mea persona aliquid cunctationis affertur, alium mecum iudicem quem ipsi delegerint Donatianae partis et fidei, vel superioris vel similis dignitatis residere non abnuam.

Sive autem cum alio sive solus in hoc negotio iudicaturus interero, nihil aliud me, nisi quod allegationes partium examinatae potuerint demonstrare et quod veri invenerit fides, per admirabile mysterium trinitatis, per incarnationis dominicae sacramentum, et per salutem supramemoratorum principum iudicaturum me esse promitto.

Nec illam sane partem potui reticere, quatenus noverint sive pro Donatistis, sive pro Catholicis fuerit lata senientia, in nullo se Donatistarum episcopos aliquam molestiam esse passuros, sed liberos, et ab omni iniuriae genere alienos ad propria redituros: quod me et per tremendum iudicii diem, et per sacramenta superius memorata, ita facturum esse polliceor.

Omnes autem qui ad singulas provincias fuerant designati, noverint in nullo se quemquam deinceps Donatistarum aliquatenus convenire debere: vel aliquam iisdem superioris executionis molestiam generare, ni malunt pro contemptu recentioris praecepti subiacere vindictae.

Erit autem omnibus Donatianae partis hominibus, de eorum qui missi sunt concussionibus et depraedationibus, si quas forte admissas esse noverint, liberum conqueri, ut in eos probata criminum qualitate, ultio digna procedat.

Et alia manu. Proponatur.

Coleman-Norton no.326

Migne 1844f, v.11. cols.1263-1266 (Gesta collationis Carthaginensis: Gesta prima), also v.43, cols.819-821.

Edictum Marcellini secundum.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit. Salvis atque incolumibus universis quae legibus deferuntur, edictorum per ordinem, sicut et prius statui formae recitentur. Martialis exceptor recitavit:

Magnitudo huiusce negotii, quod de veritatis ac religionis agnitione suscipitur, etiamsi parum momenti sui libraretur examine, convenerat tamen ipsa disceptantium gravitate atque auctoritate pensari. Nulli enim habetur ambiguum, quanti sit ponderis causa, quae inter episcoporum est discutienda personas. Sed cum mihi cognitionem disceptationis huiusce crediderit augusta dignatio, eisque iudicem dederit, quibus inferiorem me esse, pro tanti nominis veneratione cognosco, fidei sollicitudinis meae hac consideratione prospexi, ut de meo vellem iudicio iudicari.

Huius igitur auctoritate propositi omnes utriusque partis episcopos censui commonendos, ut ante cognoscant, non amplius quam septenos ambarum episcopos partium mutuae inter se disceptationis habituros esse colloquium, quos in officium disputandi suarum partium subrogarit electio: siquidem certum deligi ex partibus numerum praeceperit imperialis auctoritas.

Aderunt alii quoque septeni, delecti iudicio suae cuiusque partis episcopi: qui servata primitus per omne colloquium moderatione silentii, ad hoc; se tantum intelligant interesse, ut si qui ex disputantibus utrinque septenos conferre consilium cum suorum quoque voluerit, cum eodem illic secedat in partem, atque ibi communicata patienter ratione tractandi, proprium revertatur ad locum, fidem servaturus officii ut alter, cui id necesse est, tacendo audienda commendet; alter cui id munus est, loquendo suscepta confirmet.

Erit autem collationi aptissimus locus Thermarum Gargilianarum, in quem die kalendarum Iuniarum eosdem episcopos solos qui designati sunt oporteat convenire. Ex quo illud profecto perspicuum est, eo nullum penitus populi fieri debere conventum, quo nec ipsos universos confluere sinatur episcopos. Nam cum patientia disputandi quae soli amica silentio est, omnem catervatim agminis strepitum perhorrescat, nihil interest, utrum eam congestio populorum, an episcoporum turba praepediat. Igitur episcopi memorati soli in praedictum locum tempusque convenient: ita tamen ut reliqui omnes utriusque partis episcopi ante diem qui praedestinatus examini est, ratum se habituros quicquid a septenis utrinque coepiscopis suis fuerit actitatum, epistolis ad meam dicationem currentibus utrinque designent. Quibus epistolis tamen etiam testimonium omnes apud me propriae subscriptionis adiungant. Aequissimum namque est, ut eorum universa collatio rata futura promittatur ab omnibus, qui eliguntur ab omnibus. Nullus ergo vel laicus, vel episcopus ultra numerum praestitutum in illum tranquillissimum concilii locum contra prohibitum moliatur accedere, quin potius etiam plebes suas pia quietis ac modestiae commonitione convenient, hoc per ecclesias proprias ante tractantes, quatenus a die disputationis ac loco omnis se multitudo contineat, ut religioso patientiae magisterio delinitum Christianae paci populum parent. Non solum enim episcopi, verum etiam rationabilis in hanc sententiam populus consentit, disputantibus supradictis: et ubi maior occupatio mentium defixa consentit, de veritate quaerentibus, nihil turbidum, nihil tumultuosum nihil denique intempestivum debere prorsus obstrepere. Nam ut quod omnium saluti proficiat, fiat postea publicum, debet discutientibus veritatem praestare ante secretum: a me vero ita per omnia promulganda sententia est, ut in publicam dimissa notitiam toto splendide Carthaginis populo iudice ponderetur. Ita quippe oculis non solum urbis huiusce, verum etiam universae provinciae

totus emensae disputationis ordo pandetur, ut tam prosecutiones disputantium episcoporum quam prosecutionum mearum series subsecuta, digestis in publico voluminibus explicetur. Haec enim in iudice securitas fidei est, ut de se non timeat iudicari.

Ut igitur in eliciendae veritatis examen non inserpat aliquatenus calumniosa suspicio, lucemque perspicuam quam mentibus publicis probationum evidentium fides absoluta purgabit, nullis penitus nebulis causatio cuiuslibet partis obducat; id etiam contra suspicionum fucos et commenta fallendi necessario provisum. Noverint omnes non solum oportere, verum etiam expedire servari, scilicet ut interfatibus meis me primitus per omnia subscribente, etiam omnes. disputantes episcopi suis in scheda prosecutionibus universis absque ulla prorsus excusatione subscribant. Exigit enim meritum fidei, ut adversus eum que assertionibus suis perfidum forte subducere tentarit assensum et inficiari quae dixerit, etiam testimonii sui consistat auctoritas, ubi soli proficit victoria veritati.

Hi autem qui excipiendi funguntur officio, praeter eos qui dicationi meae de publicis praestolantur officiis, etiam quaterni de singulis partibus ecclesiastici alternis debebunt astare notarii, quorum fides ne qua vacillet ambage, quaterni episcopi partium singularum delecti suorum iudicio praeponantur, ut eosdem exceptores ac notarios pervigili ac sollicita observatione custodiant; quatenus cum eisdem exceptoribus ac notariis egressi per vices, subinde faciant perspicua digeri descriptione quae dicta sunt; ut nihilominus adhuc episcopis supradictis in disceptatione versantibus, transeat in apices evidentes profligatae pars aliqua quaestionis, ut confestim ea cum a septenis episcopis subnexa subscriptione, celerem exspectationi publicae tribuant notionem.

Post primum autem Collationis diem, descriptioni subscriptionique gestorum locum dici subsequens efficiet procrastinata cognitio: ita; ut si quid forte praecedenti Collationi supererit, in diem tertium recurat examen. Omne igitur spatium conferendi vicissim diei unius intercapedo distinguet, quo possint in medio gesta subinde subscribenda describi, memoratorum praestolante custodia, qui hoc fine suum metiantur officium, non ut aliquid decant, sed ut dicta custodiant.

Donec autem emenso exitu quaestionum, omnes expedita veritas enodet ambages, schedas subinde scriptas pariter atque subscriptas, tam mei sigilli, quam illorum octo custodum, signabit impressio.

Maximianistis etiam edicti huius innotescet auctoritas, qua sibi ab illo concilio intelligant temperandum, quod inter Catholicos Donatistasque distingui omnem diiudicarique conflictum clementium Principum praeceptio religiosa constituit; nec eis opitulari aliquatenus potest, quod sibi Donatistarum nomine blandiuntur, cum a Donatistis dicantur esse damnati. Si quis ex istis, quae adversus. omnes multifariae suspicionis insidias provisa sollicite, constituta fideliter, ordinata diligenter, tenor huius propositionis amplectitur, quodlibet observare noluerit; non solum quid de causa sua sentiat confitetur, verum etiam quid moliat ostendit.

Sufficit interim cognitori talis praerogativa iustitiae, huius commonitionis circa universos episcopos fecisse populum sibi plebis Carthaginensis testem, quem mox est habiturus iudicem. Superest ut ante concilii diem universum huiusce ordinationis tenorem utriusque partis episcopi, amputata penitus mora, missis ad dicationem meam litteris suis impleturos se esse promittant: hoc praecipue maturato, ut eadem quibus ad omnia huiusce edicti se consensisse profitebuntur epistolae, primatum tantummodo episcoporum subscriptione signentur. Sufficit enim illis epistolis universalem, ut ita dixerim, subscriptionem episcoporum omnium cohaerere, quibus totum disputationis ordinem conferentium septenorum ritum se habituros esse promiserint.

411 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.328

Migne 1844f, v.11, cols.1418-1420, also v.43 cols.840-841.

Monumenta Carthaginensi collationi posteriora.

Flavius Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius dixit:

Vellem quidem, quod et omni de votorum intentione nunc cupio, ut quanta ex demonstratione veritatis et tandem prodi erroris orta laetitia est, tanta ex conversione superstitionis antiquae et

in melius mutatae sententiae gratulatio nasceretur. Magna enim gaudia esse quis dubitet cum inveteratae aegritudini provenit insperata curatio; causamque exultationis in talibus maiorem facit sanitas restituta quam semper retenta. Sed quia obstinatio mentium perditarum, quas pravae simul persuasionis vincula nexuerant, ad viam salutis ostensae aut redire dissimulat aut, quod est deterius, impudentia reformidat, exserenda iam legum est et exercenda sententia, ut quos ad bonam valetudinem leniora post apertam cominus veritatem medicamina non revocant, acrior restituat curationis intentio.

Cui enim ratio proxima, sicut gestorum series subiecta demonstrat, sicut divinorum quoque voluminum indita exempla testantur, non liquido declaret alieni, etiamsi probari potuisset, sceleris noxa alium fieri reum omnino non posse, et universalis ecclesiae statum Caeciliani insimulatione, de quo nihil reprehensibile potuit approbari, non debere subverti, nec etiam eorum qui se a corpore ecclesiae separarunt lata adversus eum praeiudicare valuisse sententia, sicut nec a Maximianistis recenti tempore in absentem Primianum prolata damnatio eidem nocere praevaluit?

Cui etiam illud ad correptionis causam non omni ex parte sufficiat tot iudiciis patefacta Donato auctore schismatis comprobatio, Caeciliani persolutio atque purgatio, ultimaque sententia triumphabilis memoriae Constantini; qua evidentius docetur expressa et Caeciliani innocentia et Donati sociorumque eius calumniosa criminatio, Felicis quoque Aptugnensis ordinatoris eius proconsularis sententio documentis ostensa purgatio?

Unde si haec tam perspicua atque manifesta inveterato mederi nequeunt morbo, putris est vulneris sanies reprimenda; ut libertate praeclusa, sibi tantum nosere, quia hoc potius eligit, incipiat. Per haec enim fiet ut velit aliquando sanari. Declaratae igitur veritati detecta falsitas colla submittat.

Unde universos ordinis viros, dominos etiam fundorum, actores, conductores tam domus divinae quam etiam privatarum possessionum, senioresque omnium locorum, huius edicti auctoritate commoneo quatenus memores legum, dignitatum, aestimationis salutisque propriae, Donatarum conventicula in omnibus civitatibus et locis prohibere contendant, ita ut ecclesias quas eis humanitate mea absque imperiali praecepto usque ad diem sententiae constat indultas Catholicis tradere sine ulla dilatione festinent, ni malunt tot sanctionum laqueis irretiri: quas quidem, si unitati catholicae consentire voluerint, eorum esse sat certum est.

Maiore autem causa atque solertia post detectam modis omnibus unitatem superstitionemque convictam a proprii debent facinoris intentione depelli.

Hi autem qui post vetita legum eorum se coetibus miscuerint, indubitanter intelligant poenam se imperiali arbitrio praestitutam ulterius vitare non posse, quos principe loco post agnitae catholicae reverentiam legis ad profanos eorum coetus communionemque rediisse sat clarum est. Quod ut ante non fieret, patientiae tantum consideratione et spe correctionis aliqua parte ex parte distuleram. Hactenus igitur inimicos fidei Christianae legibus insultasse sufficiat, maxime cum eorum notas certum sit esse personas. Quid necesse est tot sanctionum, quoniam nulla emendatio subsequuta est, nexibus subdi?

Ipsam vero catholicorum episcoporum, etiam post victoriam veritatis, noverint Donatistae manere sententiam, ut completis collationibus quas eis et ante oblatas publica conscientia retinetur, et nunc offerri sine dubitatione sat certum est, sese suscipi posse cognoscant.

Superioris autem edicti fidem in omnibus certum est reservari. Unde unusquisque Donati communionis episcopus ad loca propria sine ulla debet inquietudine ac molestia remeare; quatenus in propriis constitutus, aut ad unam veramque ecclesiam revertatur, aut satis legibus facere sine dissimulatione non differat.

Hi autem qui in praediis suis circumcellionum turbas se habere cognoscunt, sciant, nisi eorum insolentiam omnimodis comprimere et refranare gestierint, maxime ea loca a fisco mox occupanda. Siquidem tam catholicae legi quam quieti publicae, ut eorum conquiescat insania, in hac parte consulitur.

Gestorum autem relectio qua profertur superius memoratum a Donatistis errorem schismatis exstitisse, atque Caecilianum et caeteros, quos improbe crediderant accusandos, fuisse purgatos, sanctitatem vestram plenissime poterit edocere.

(Et alia manu). Proponatur.

(Datum Carthagini) post consulatum Varanis v.c. VI. kal. Iulii. <26.Jun.411>

412 Honorius - Theodosius (2)

Pharr p.482 / Coleman-Norton no.327

Mommsen 1904, pp.915-16 (Constitutiones Sirmondianae, no.11).

Excerpt in Cod.Theod.16.2.40 (25.Mai.412)

Dd. nn. imp. Honorius et Theodosius augg. Melitio praefecto praetorii.

Recte clementiam nostram sacrosanctae religionis obsequiis devotis adsiduitatibus servientem ad confirmationem privilegiorum, quae ecclesiis dicavit vetustas, magnificentiae tuae suggestio religiosa commonuit, ut temerariorum hominum conatibus penitus obpressis, quibus studium est christianam innocentiam semper appetere, eam nostri formam sanciamus arbitrii, cui deinceps nullus impune refragator existat.

Placet igitur rationabilis consilii tenore perpenso, quoniam quid remedii...confusa nequissimis ausibus viam relinquunt, destricta moderatione praescribere, a quibus specialiter necessitatibus ecclesiae urbium singularum habeantur inmunes.

Primo quippe illius usurpationis contumelia depellenda est, ne praedia usibus caelestium secretorum dicata sordidorum munerum fasce vexentur.

Nulla iugationem talium privilegiorum sorte gratulanti muniendi itineris constringat iniuria; nihil extraordinarium ab hac vel superindicticium flagitetur; nulla pontium instauratio, nulla translationum sollicitudo gignatur. Non aurum ceteraque talia poscantur. Postremo nihil, quod praeter canonicam illationem adventiciae necessitatis sarcina repentina depoposcerit, eius functionibus adscribatur.

[Placet rationabilis consilii tenore perpenso destricta moderatione praescribere, a quibus specialiter necessitatibus ecclesiae urbium singularum habeantur inmunes. Prima quippe illius usurpationis contumelia depellenda est, ne praedia usibus caelestium secretorum dicata sordidorum munerum fasce vexentur. Nullam iugationem, quae talium privilegiorum sorte gratulatur, muniendi itineris constringat iniuria; nihil extraordinarium ab hac superindicticiumve flagitetur; nulla pontium instauratio, nulla translationum sollicitudo gignatur; non aurum ceteraque talia poscantur. Postremo nihil, praeter canonicam illationem, quod adventiciae necessitatis sarcina repentina depoposcerit, eius functionibus adscribatur. 16.2.40]

Vacent ecclesiae solis, quibus bene consciae sunt, divinae praedicationis officiis, cuncta in orationibus celebrandis horarum omnium momenta consumant.

Gaudeant nostra in perpetuum liberalitate munitae, quarum nos erga cultum pietatis aeternae devotione gaudemus. Quapropter sublimis magnificentia tua religiosi mentibus in huiuscemodi negotio nobiscum decenter adcincta, oraculi praesentis adque in omne aevum perpeti firmitate duraturi serie comperta, roboratis omnibus, quae sacrosanctae venerationis intuitu huiusce sanctionis auctoritate praescribimus, provinciarum iudices scriptis currentibus admonebit, quo evidenter agnoscant universos, qui deinceps temerariae praesumptionis adnisi in iniuriam ecclesiarum nostrique praecepti aliquid fortasse temptaverint, severissima interminatione quatiendos, ita ut in talibus deprehensi contumacia fervente peccati post debitae ultionis acrimoniam, quae erga sacrilegos iure promenda est, exilio perpetuae deportationis utantur. *[Si quis contra venerit, post debitae ultionis acrimoniam, quae erga sacrilegos iure promenda est, exilio perpetuae deportationis uratur. 16.2.40]*

Data VIII kal. Iulias Ravennae dd. nn. Theodosio aug. IIII cons. <24.Jun.412>

412 Honorius - Theodosius (2)

Pharr p.485 / Coleman-Norton no.334

Mommsen 1904, pp.919-20 (Constitutiones Sirmondianae, no.15).

Excerpt in Cod.Theod.16.2.41 (11.Dec.412)

Imp. Honorius et Theodosius aa. ad Melitium virum illustrem praefectum praetorii.

Non cassum veterum prudentia constituit quod adpetitam innocentiam solaretur et purgatis repperit ultionem, ne libera calumniantis intentio insontes adfligeret. Terret quidem reum

proposita poena criminibus et facit accusatorem vindictae contemplatione cautiorem, ne quisquam solis aliquando inimicitarum stimulis incitatus ingerat non probanda iudicibus. Quae fori aequitas, responsis veterum et legum nostrarum aeternitate solidata, cunctis est delata personis, debet clericis nunc prodesse, quos non nisi apud episcopos convenit accusari. [*Clericos non nisi apud episcopos accusari convenit. 16.2.41*] Quibus nihil convenit habere commune, ne cultus venerabilis sacerdos et christianae legi dicatus minister, quibus intuitu religionis maior quam ceteris talibus reverentia deferenda est, securo calumniantis arbitrio cuiuslibet criminis nondum probata obiectione maculetur et talibus personis, quibus dignum est detulisse pro merito, peccatum iniuria fieri et sine ultione illicite patiamur.

Quapropter placitura omnibus legis aeternitate sancimus, ut, si episcopus vel presbyter, diaconus et quicumque inferioris loci christianae legis minister apud episcopos, si quidem alibi non oportet, a qualibet persona fuerint accusati, sive ille sublimis vir honoris sive cuiuslibet alterius dignitatis, qui hoc genus miserandae intentionis arripiat, [*si episcopus vel presbyter, diaconus et quicumque inferioris loci christianae legis minister apud episcopos, si quidem alibi non oportet, a qualibet persona fuerint accusati, sive ille sublimis vir honoris sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus laudabilis intentionis arripiet, 16.2.41*] ut homo peccatis aliquibus vel criminibus pollutus mentiendo probatis obsequio vel locum tenentibus sacerdotii vel divinis servientibus mysteriis delationem ingerat, noverit docenda probationibus, monstranda documentis se debere deferre. [*noverit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre. 16.2.41*]

In quo si est culpa, minister religionis vitae suae pollutione removendus sacris non potest interesse secretis. At si huius est vesaniae, quae nullis fulta probationibus composita criminatione talium virorum adpetisse propositum videatur aut..... Si quis igitur circa huiusmodi personas. [*Si quis ergo circa huiusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis intellegat se iacturae famae propriae subiacere, ut damno pudoris, existimationis dispendio discat sibi alienae verecundiae impune insidiari saltem de cetero non licere. Nam sicut episcopos presbyteros diaconos ceterosque, si his obiecta comprobari potuerint, maculatos ab ecclesia venerabili aequum est removeri, ut contempti post haec et miserae humilitatis inclinati despectu iniuriarum non habeant actionem, ita similis videri debet iustitiae, quod adpetitae innocentiae moderatam deferri iussimus ultionem. Ideoque huiusmodi dumtaxat causas episcopi sub testificatione multorum actis audire debebunt. 16.2.41*] <3.Dec.412>

417 Honorius - Theodosius (2)

Hänel 1857, no.1170 p. 238.

Imp. Honorius A. ad Constantium virum illustrium patricium.

Inter publicas necessitates etiam hoc ad nos volumus pertinere. Si quis libertum emere ut servum, vel qualibet manumissione donatum inquietare voluerit, non solum bona sua largitionibus nostris iussimus sociari, verum etiam capitali sententia plecti. Ergo quum id nos indulsisse pervideas, Constanti parens carissime, ad notitiam omnium ordinariorum iudicum facias pervenire, ut nostro laetentur imperio. Vale, Constanti parens carissime atque amantissime nobis.

Regestum Ravennae die XV. Kal. Febr. Honorio a. XI. et Constantio II. aa. coss. <18.Jan.417>

418 Honorius - Theodosius (2)

Murray pp.170-171

Gundlach 1892, Ep.8, pp.13-15; Hänel 1857, no.1171 p.238.

Imp. Honorius et Theodosius AA. v.i. Agricolae praefecto galliarum.

Factam ad virum inlustrem Agraecola praefectum galliarum.

Saluberrima magnificentiae tuae suggestione inter reliquas reipublicae necessitates evidenter instructi, observanda provincialibus nostris, id est per Septem Provincias, mansura in aevum auctoritate decernimus, quod sperari plane ab ipsis provincialibus debuisset.

Nam cum propter privatas ac publicas necessitates, de singulis civitatibus, non solum de provinciis singulis, ad examen magnificentiae tuae vel honoratos confluere, vel mitti legatus, aut possessorum utilitas, aut publicarum ratio exigit functionum: maxime opportunum et conducibile

iudicamur, ut, servata posthac quod annis singulis consuetudine, constituto tempore in metropolytana, id est in Arelatensi urbe, incipiant Septem Provinciae habere concilium. In quo plane tam singulis, quam omnibus in commune consulimus: primum ut optimorum conventu sub inlustri praesentia praefecturae, si id tamen ratio publicae dispositionis obtulerit, saluberrima de singulis rebus possint esse consilia, tum quod, quidquid tractatum fuerit et discussis ratiociniis constitutum, nec latere notiores provincias poterit et parem necesse est inter absentes aequitatis formam iustitiaeque servari.

Ac plane praeter necessitatis publicas etiam humanae ipsi conversatione non parum credimus commoditatis accedere, quod in Constantina urbe iubemus annis singulis esse concilium. Tanta enim loci opportunitas, tanta est copia commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, ut quidquid usquam nascitur, illic commodius distrahatur; neque enim ulla provincia ita peculiari fructus sui felicitate laetatur, ut non haec propria Arelatensis soli credatur esse fecunditas. Quidquid enim dives Oriens, quidquid odoratus Arabs, quidquid delicatus Assyrius, quod Africa fertilis, quod speciosa Hispania, quod fortis Gallia potest habere praeclarum, ita illic adfatim exuberat, quasi ibi nascantur omnia, quae ubique constat esse magnifica. Iam vero decursus Rhodani, et Terreni recursus, necesse est, ut vicinum faciant ac paene conterminum, vel quod iste praeterfluit, vel ille quod circuit.

Cum ergo huic serviat civitati, quidquid habet terra praecipuum, ad hanc velo, remo, vehiculo, terra, mari, flumine deferatur, quidquid singulis nascitur: quemadmodum non multum sibi Galliae nostrae praestitum credant, cum in ea civitate praecipiamus esse conventum, in qua divino quodam munere commoditatum et commerciorum oportunitas tanta praestatur? Siquidem hoc rationabili plane probatoque consilio iam et vir inlustres praefectus Petronius observari debere praeceperit; quod interpolatum vel incuria temporum vel desidia tyrannorum, reparari solita prudentiae nostrae auctoritate decernimus, Agricola, parens carissime atque amantissime.

Unde inlustri magnificentia tua et hanc praeceptionem nostram et priorem sedis suae dispositionem secuta, id per Septem Provincias in perpetuum faciet custodiri, ut ab idibus Augustis, quibuscumque mediis diebus in Idibus Septembris, in Arelatensi urbe noverint honorati vel possessores, iudicis singularum provinciarum annis singulis concilium esse servandum; ita ut de Novempopulana, et secunda Aquitania, quae provinciae longius constitutae sunt, si eorum iudices occupatio certa retenerit, sciant, legatus iuxta consuetudinem esse mittendos. Qua provisione plurimum et provincialibus nostris gratiae nos intellegimus utilitatisque praestare, et Arelatensi urbi, cuius fidei secundum testimonia atque suffragia parentes patriciique nostri multa debemus, non parum adicere nos constat ornatui.

Sciat autem magnificentia tua, quinis auri libris iudicem esse multandum, ternis honoratos vel curiales, qui ad constitutum locum intra definitum tempus venire distulerint.

Data XV. Kalendas Maias. <17.Apr.418>

Accepta Arelate X. Kalendas Iunias, <23.May.418> dd.nn. Honorio XII. et Theodosio VIII. aa. coss.

418 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.350

Mansi 1758f, v.4 (410 - 431) cols.444-445, Migne 1844f, v.56, cols.490-492, also v.45, cols.1726-1727, also v.48, cols.379-386; Hänel 1857, no.1171 p.238-239.

Imperatores Honorius et Theodosius Augusti Palladio praefecto praetorio.

Ad conturbandam catholicae simplicitatis lucem puro semper splendore radiantem dolosae artis ingenio, novam subito emicuisse versutiam pervulgata opinione cognovimus: quae fallacis scientiae obumbrata mendaciis et furioso tantum debacchata luctamine, stabilem quietem caelestis conatur atrectare fidei, dum novi criminis commendat inventum, insignem notam plebeiae aestimans vilitatis, sentire cum cunctis, ac prudentiae singularis palmam fore, communiter approbata destruere, cuius impiae commentationis auctores Pelagium Caelestiumque percrebuit exstitisse.

Hi parenti cunctarum rerum deo, praecipuaeque semper maiestati, intermine omnipotenti, ut ultra omne principium transeunti, tam trucem inclementiam scaevae voluntatis assignant, ut quum formandi mundi opificem curam sumeret, qualitatemque hominis struendi profunda spiritus conceptione libraret, fundati muneris foedum anteferet exordium, et mortem promitteret nascituro: non hanc insidiis vetiti fluxisse peccati; sed egisse penitus legem immutabilis constituti: ad declinandum leti exitialis incursum nihil prodesse abstinenciam delinquendi, cuius vis ita putaretur adscripta, ut non possit aboleri deinceps: primitivi hominis errorem, in quem captae mentis inops rationis caecitas irruisset, delapsam ad posterum non fuisse; tantumque apud eum, quam malesuadae gratiae infelix rapuisset illecebra, transgressionem interdicti extitisse discriminis: quum evidens catholicae legis omnifaria testetur auctoritas, illum interitus omnium fuisse vestibulum, quem divinae praeceptionis sedulum liquet corrupisse mandatum: aliaque quam plurima, quae sermo respuit, lex refutat: quae pertaesum sit recordari, etiam sub dispositione plectendi.

Quae maturato remedio et celeritate festina oportet intercipi, ne corroborato usu nequitiae adolescentis vix valeant coerceri. Siquidem aures mansuetudinis nostrae recens fama perstrinxerat intra sacratissimam urbem nostram, aliaque loca, ita pestiferum virus quorundam inolevisse pectoribus, ut interrupto directae credulitatis tramite, scissis in partes studiis asserendi, materia impacatae dissensionis inducta sit: novoque scandali fomite concitato beatissimae ecclesiae actu nutet attentata tranquillitas: aliis aliud ancipiti interpretatione sectantibus, et quum sit absoluta sanctorum apicum claritas, ac dilucide, quid sequi universitas debeat, explanans, pro captu versipellis ingenii novorum ausuum <alt: auctorum, alt: commentorum> profanam moventibus quaestionem, Palladi parens carissime atque amantissime.

Ob quam rem illustris auctoritas tua, victura in omne aevum lege nos statuisse cognoscat, ut pulsus ex urbe primitus capitibus dogmatis exsecrandi Caelestio atque Pelagio, si qui huiusce de cetero sacrilegii sectatores quibuscumque locis potuerint rursus reperiri, aut de pravitate damnata aliquem proferre sermonem, a quocumque correpti ad competentem iudicem pertrahantur: quos sive clericus, sive laicus fuerit, deferendi habeat potestatem, et sine praescriptione aliqua perurgendi, quos relicta communi scientiae luce novae disputationis tenebras introferre deprehenderit, contra apostolicam scilicet disciplinam, evangelicamque claram et sine errore sententiam vafra rudis sectae calliditate pugnantes, involventesque splendentem fidem veri ambagibus disserendo. Hos ergo repertos ubicumque de hoc tam infando scelere conferentes a quibuscumque iubemus corripere, deductosque ad audientiam publicam promiscue ab omnibus accusari: ita ut probationem convicti criminis stilus publicus insequatur, ipsis inexorati exilii deportatione damnatis. Decet enim originem vitii a conventu publico sequestrari, nec in communi eos celebritate consistere, qui non solum facto nefario detestandi, verum etiam exemplo venenati spiritus sunt cavendi. Iuvat autem per omne paene imperium nostrum, qua mundus extenditur, huiusmodi promulgata diffundi: ne scientiae fortasse dissimulatio pastum praestet errori; atque impune se quisquam putet audere quod, condemnatum vigore publico, sese finxerit ignorare.

Data pridie Kalendas Maias Ravennae dominis nostris Honorio XII. et Theodosio VIII. augg. consulibus. <30.Apr.418>

Coleman-Norton no.351

Migne 1844f, v.45 cols.1727-1728, also v.48, cols.392-394, also v.56, cols.492-493; Hänel 1857, no.1171 pp.239.

Exemplum edicti Iunii Quarti Palladii.

Iunius Quartus Palladius, Monaxius, et Agricola iterum, praefecti praetorio, edixerunt.

In Pelagium atque Caelestium catholici dogmatis fidem scaevae tractatibus destruentes sententia principalis incaluit <alt: invaluit>, ut venerabili urbe submoti bonorum concilio mulctarentur. Hoc igitur omnes admoneri oportet edicto, ne quis sinistrae persuasionis erroribus credulum praestet assensum. Et si sit ille plebeius ac clericus qui in caliginis huius obscoena reciderit; a quocumque tractus ad iudicem, sine accusatricis discretione personae, facultatum publicatione nudatus,

irrevocabile patietur, exsilium. Nam superna maiestas, ut colligit ex secreti ignoratione reverentiam, ita ex ineptae disputationis iniuriam.

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.352

Günther 1895, pp. 60-61 (Collectio Avellana, no.15).

Exemplum sacrarum litterarum <Honorii> Symmacho praefecto urbis.

Gestis omnibus recensitis laudanda sublimitatis tuae relatione perclaruit in ordinatione venerabilis sacerdotii quietem veterem paucorum insolentiam attemptare voluisse. Nam cum post abscessum venerabilis viri Zosimi circa meritum Eulalii ordine subrogandi communi idcirco concinens multitudo sonuisset ac plena erga se omnia, quae regula catholicae posceret disciplinae, successoris confirmatio custodiret, vehementer miramur aliquos extitisse, qui sollemnitate contempta circa ordinationem alterius festinarent. In quorum castigandum factum mansuetudinem nostram rite oporteret insurgere, nisi hoc tamen genere decerneremus eos ad veniam pertinere, quod lapsum cito proprium contuentes ad deprecandi suffragium sunt relapsi, ignosci super id, quod vim perpressi conquesti sunt, postulantes.

Convenire ergo votum et studium nostrum circa Eulalium, sacrae legis antistitem, sublimitas tua clementiae nostrae auctoritate praesenti cognoscat; cui competens numerus ordinantium, legitimi sollemnitas temporis locique qualitas recte venerandi nominis apicem contulerunt. Cum autem Bonifatio constet omnia defuisse, superflue expectatam sententiam nostram esse censemus, cum factum suum episcopum, qui praesumpserant, ammotis damnasse precibus videantur.

Absoluta itaque decernimus iussione extraordinaria praesumptione summota Bonifatium interdicta confestim urbe prohiberi: erit verecundiae eius, ut morem gerens caelestibus constitutis sponte discedat; pertinacius resistentem, invitum praecipimus expelli. Plebeiae sane seditionis auctores cum sociis suis sublimitas tua, Symmache parens karissime atque amantissime, statuet attineri; atque in eos congrue vindicari, ut res temere praesumpta non transeat impunita. In qua re Afrodysium, v(irum) c(larissimum) tribunum et notarium dirigi a nostra mansuetudine placuit, ut praesente eo quae statuimus celerius impleantur, quatenus quies populi nulla perturbatione vexetur et pacata eum veneretur universitas, quem secundum veterem consuetudinem observata sacrae legis mysteria susceperunt.

Data III. Non. Ian. Ravennae. <3.Jan.419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.353

Günther 1895, pp. 65-66 (Collectio Avellana, no.18).

Honorius imperator Symmacho praefecto urbis.

Post relationem sublimitatis tuae delatam mansuetudinis nostrae auribus presbyterorum allegatio causam nobis non supervacuae deliberationis iniecit: ideo decet ambiguitate seposita fidem rerum comminus experiri quamque partem praetermissus gestae rei ordo arguat, quam servatus adiuvet, multis coram censentibus approbari, ut utriusque facti simul qualitate perpensa et circa unam rite definita consistat et circa aliam temere assumpta non maneat, Symmache parens karissime atque amantissime.

Ob quam rem illustris et praecelsa magnitudo tua suspensis omnibus, quae superius sunt decreta, nullique interim praeiudicio comparato auctoritate praesentis oraculi utrumque hoc est Bonifatium et Eulalium religiosissimos viros instantia digna conveniet, ut intra diem sextum Iduum Februariarum Ravennatam civitatem praesentiam suam maturare non differant, omnibus aequae admonitis, qui auctores utriusque ordinationis existunt, ut amota excusatione non desint, ut facto quisque erga alterutrum proprio prolatis ecclesiasticae institutionis exemplis defensor existat seque purgato alium magis in legem catholicam deliquisse praesumpta inmeriti electione convincat: iudicium de statu suo quisque, si adesse neglexerit, sortiturus, dans nimirum intellegi improvide immo illicite se fecisse, quod coram non audeat defensare.

Nos quoque ex diversis provinciis competentem numerum sacerdotum scriptis nostra serenitatis accimus, ut rem deductam in dubium absolvat nobis coram disceptatione plurimorum.

Cum autem omnia futuro integra sint iudicio reservata, de transactis sibi blandiri neminem decet: praesentis enim iudicii docebit exemplum, quod in eiusmodi negotiis observari debeat in futurum.

Data XVIII. Kal. Feb. per Aphthonium. <15 Jan 419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.354

Günther 1895, pp. 67-68 (Collectio Avellana, no.20).

Exemplum sacrarum litterarum <Honorii> ad synodum.

Omnia quidem clementia nostra in praesenti beatitudini vestrae congrua ordinatione mandavit, ut sequestratis omnibus vestro iudicio, quod observari propter quietem populi deceat, finiretis. Meminimus quoque hoc a nobis imprimis, quod aequitas expetebat, esse mandatum, ut hi episcopi, quos interfuisse eorum ordinationibus constat vel postea subscripsisse, sine iniuria sui et manente reverentia iudices non sederent nec ullum praestare testimonium possent, ne non tam novam prolaturi sententiam quam servaturi factum praeteritum viderentur. Hi ergo, sicut superius diximus, ab ea disceptatione se abstinere debebunt.

Illud quoque similiter custodiendum beatitudo vestra esse cognoscat, nulli parti praeiudicium comparatum, quod a nobis antea claruerat constitutum, cum enim celeriter destinata iussa propter quietem populi pietatis nostrae sequenti auctoritate summota sint, nihil hinc aut vindicare pars altera poterit aut altera formidare.

Attendentes ergo iudicium dei, quod in tali causa vobiscum simul residere manifestum est, examinatis omnibus id nos custodire decet, quod infundante caeleste spiritu habere Christianae legis integram reverentiam possit.

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.355

Günther 1895, p.69 (Collectio Avellana, no.22).

Exemplum sacrarum litterarum <Honorii> ad Achilleum Spolitanum episcopum.

Quoniam de Romano sacerdotio propter angustias temporis, quas dierum sollemnitas fecit, quae abesse episcopos a suis ecclesiis non sinebat, dilatatum constat esse iudicium, recte nostra serenitas credidit ordinandum, beatitudo tua ad <urbem> venerabilem congrua veneratione festinet, quatenus sanctae paschae dies ea qua convenit quiete cum sollemnitate consueta populis repraesentans nec consuetudini obsit, quod differri synodum multiplex necessitas fecit.

Illud sane in primis ac praecipue commonemus, ne umquam ulla illorum mentio fiat, de quibus constat suspensos esse iudicio. <Dat. die 15 Mart. 419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.356

Günther 1895, pp. 68-69 (Collectio Avellana, no.21).

Honorius Symmacho praefecto urbis.

Magnarum deliberationum non debet citum esse iudicium nec temere proferenda sunt, quae servanda in perpetuum sanciantur.

Saepe de episcopis urbis aeternae <per> altercationem partium sub examine sacerdotum concussa cognitio est. Sed ne quid festinum celeritate iudicii proferatur, id clementiae nostrae sedit arbitrio, ut, quoniam vicinitas sanctorum dierum episcopi praesentiam postularet nec in urbe sacratissima fas esset pascharum praesentim dies sine sacerdote celebrare, idcirco, Symmache parens karissime atque amantissime, illustris magnificentia tua Achilleum nos elegisse cognoscat, quem a favore partium constaret alienum, qui mysteria sacrae observationis impleat. Transactis vero festis diebus ex iudicio sacerdotum quae debeant custodiri consilio maturiore tractabimus.

Monemus sane, ut regionum primatibus evocatis disciplinae publicae quietique prospicias: quibus decretorum nostrorum praecepta iubeas aperiri, ne quis scilicet ullum tumultum neque seditionem audeat commovere. Quam si quis insana persuasione conciverit, non in eos tantum, qui in perturbatione fuerint deprehensi, sed in regionum quoque priores intellegant vindicandum. Novimus enim quietem publicam facile custodiri, si incentorum cupiditates ac fomenta cessaverint. <Dat. die 15 Mart. 419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.357

Günther 1895, no.23 pp. 69-70 (Collectio Avellana, no.23).

Honorii Principis oratio ad senatum.

Scimus, patres conscripti, a vobis cunctationem nostram non posse reprehendi, quibus semper in re omni probatur consiliorum iudiciiue maturitas. Nec sane de summis cita debuit et potuit esse sententia, quam ut aeternam ita probabilem et ex omni parte decet esse perfectam.

Inter episcopos, quos in urbe sacratissima faventium studia vel partium voluntas elegerat, ab omnibus qui aderant sacerdotibus iusseramus audiri et aliquotiens iterata cognitio est. Verum cum longiores moras examinatio iustae cognitionis afferret et plura inquisitio iudicum diligens inveniret, quibus finis citus non posset imponi, et festorum dierum celebritas celeritatem definitionis exposceret, ne quid temerarium promeremus, rem omnem credidimus differendam.

Missus itaque est Achilles vir religiosus episcopus Spoletinae civitatis, per quem sanctorum dierum celebritas impleretur. Amplitudinis vestrae est popularium mentes ad quietem consilii salubritate retinere, cum probabilem ac necessarium dilationem nostram dubitare nequeatis. <Dat. die 15 Mart. 419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.358

Günther 1895, pp.70-71 (Collectio Avellana, no.24).

Eiusdem principis <Honorii> edictum ad populum.

Fidei curam, Quirites optimi, maximam iudicantes nihil festinum aut in maturum credidimus proferendum. Ea enim in causa religionis decerni censemus, quae sine errore ac reprehensione sententiae ab omnibus comprobentur.

Itaque cum in cognitione de episcopis, qui in urbe fuerant constituti, sub iudicio sacerdotum intentionis haereret ambiguum nec nascentibus subinde causis finis certantibus studiis posset imponi ac diu de rebus variis deliberatio nostra penderet, <in> futuram cognitionem ad integrum sacerdotum numero pleniore concilium omne negotium constituimus differendum, ut causa ex omni parte librata transactis paschae diebus terminum, quem aequitas vel religio poscebat, acciperet. Simul, quia de sacerdote nihil poterat definiri, temporarie elegimus qui reverenda sacris diebus mysteria celebraret, ut vobis, Quirites, ad honorem sacrae urbis praesto esset sollemnitas sacerdotis.

Quare imitati patientiam nostram placidis animis, quae pro pace publica suademus, accipite: sanctorum cultus dierum debita tranquillitate transcurrat, quietem publicam seditio nulla perturbet, favor proprius circa nullum, qui notetur, appareat. Decet enim suspensis sensibus omnia nostro integra vos reservare iudicio nec furore quodam sed debita probitate expectare potius quam poscere sacerdotem. Quod si pravos incentores secuti turbas et tumultus potius <quam> quietem ac modestiam legeretis, quibus favetis, monstrabit nec solum vobis sed et auctoribus vestris, quorum consiliis inhaeretis, periculum salutis, ad quod nos compellitis, imminet. Neque enim venia dignus est, qui ab improbitate humanitatis nostrae monitis non poterit retineri. <Dat. die 15 Mart. 419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.359

Günther 1895, pp. 71-72 (Collectio Avellana, no.25).

Eiusdem principis <Honorii> epistola ad sanctum Paulinum episcopum Nolanum.

Sancto ac venerabili patri Paulino episcopo.

Iam tunc fuit apud nos certa sententia nihil ab his sacerdotibus, qui ad synodum convenerant, posse finiri, cum beatitudo tua de corporis inaequalitate causata itineris non potuerit iniuriam sustinere, et per absentiam sancti viri, non quidem obtentura, interim tamen vitia gratulantur, cum prava et vetus ambitio et cum benedicto viro sanctaeque vitae diu velit habere certamen et contra haec apostolicae institutionis bona de praesumptis per vim parietibus existimet confidendum.

Quo vere digna causa, quam non nisi coronae tuae beata vita discingat, dilatatum itaque iudicium nuntiamus, ut divina praecepta ex venerationis tuae ore promantur, qui ea secutus implesti. Nec potest alius eorum praeceptorum lator existere, quam qui dignus apostoli discipulus approbaris specialiter.

Itaque, domine sancte, merito venerabilis pater, iustus dei famulus, divinum opus contempto labore tributurus hoc nobis visitationis tuae, si ita dicendum est, munus indulge, ut postpositis omnibus, quoniam temperati aeris tranquillitas suffragatur, synodo praefuturus sine intermissione etiam desiderii nostris et benedictioni, quam cupimus, te praestare digneris. <Dat. die 20 Mart. 419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.360

Günther 1895, p.72 (Collectio Avellana, no.26).

Item eiusdem principis <Honorii> ad episcopos Afros.

Serenitas nostra cum in omnibus causis tum praecipue in his, quae ad venerabilem religionem pertinent, perpensum cupit habere iudicium.

De sacerdotio urbis aeternae exortam contentionem etiam trans maria iam credimus nuntiatum.

Quae a paucis non potuit terminari et ideo multorum necessarium constat esse iudicium.

Quapropter sanctitias vestra, quos vitae bonum et legis doctrina commendat, intra diem Iduum Iuniarum ad Spoletinam civitatem amputatis excusationibus properare dignetur, ut id, quod veritas vel religionis norma dictaverit, deo pariter cunctorum mentibus aspirante sententia iudicetur, ne diutius apostolicae sedis sacerdotium differatur. <Dat. die 20 Mart. 419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.361

Günther 1895, p.73 (Collectio Avellana, no.27).

Item eiusdem principis <Honorii [sed Gallae Placidiae]> epistola ad sanctum Aurelium Cartaginiensem episcopum.

Aliam quidem videndae venerationis tuae causam optaveramus evenisse, ut desiderato benedictionis tuae frueremur aspectu. sed quia adversus papam urbis Romae ambitio reprehendenda certamen indixit et sanctam vitam in episcopo aestimat non quaerendam, coeptum super hac discussione iudicium minor numerus sacerdotum, quam synodi consuetudo deposcit, in plures doctissimosque viros, quorum sanctitas tua princeps est, prorogavit. neque enim praemia castitatis et meriti summotis vitiis, quae respuit divinae religionis sacrosancta praeceptio, per alios quam tales viros oportuit revelari. et quamvis sufficere domni germani mei Augusti principis scripta potuerunt etiam mea tamen, quibus adventum sanctitatis tuae precarer, adiunxi. quaeso itaque, domine sancte, pater merito venerabilis, ut duplex beneficium tributurus et desideratae nobis benedictionis tuae et necessarii pro beatitudine iudicii proferendi intermissis omnibus deum intuens, de cuius sacerdote firmando labor veniendi non debet recusari, <te> praestare digneris. <20.Mar.419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.362

Günther 1895, pp.73-74 (Collectio Avellana, no.28).

Eiusdem [Gallae Placidiae] epistola ad Augustinum, Alypium, Euhodium, Donatianum, Silvanum, Novatum et Deuterium episcopos uniformis.

Pervenisse ad venerationem tuam certa est pietas nostra adversus papam urbis Romae vitia cum castitate pugnare et huiusce rei tam diuturnum esse conflictum, ut inter tot sacerdotes, qui ad synodum convenerant, quibusdam dissentientibus nondum potuerit apostolica praeceptione firmata vita praeferri. tuam tamen se interdum bene scire astipulanti quoque ea parte, quae discrepat, sine dubitatione confessi sunt, ut plane fuerit manifestum expectari tuae iudicium sanctitatis, in cuius praesentia promenda sententia differretur, qui merito vitae praecedens recte etiam ex transmarinis regionibus, ut iudicare possis, expeteris. sed quamvis sacra domni germani mei Augusti principis ad Italiae synodum convocans auctoritas non neglegenda pervenerit, socianda specialiter etiam serenitatis nostrae scripta iudicamus, quibus precor, ut desiderabilem aspectum benedictionis tuae sine excusatione concedens omnipotenti deo gratum iudices hunc laborem, quod et pro eximio sacerdote et pro sanctae vitae meritis sententiam prolaturus remunerationem vexationis huius in praemio divino intellegis constitutam.

Data XIII. Kal. April. Rauennae. <20.Mar.419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.363

Günther 1895, p.76 (Collectio Avellana, no.30); Hänel 1857, no.1173 pp.239.

Epistola illustris comitis Constantii ad Symmachum p.u.

Ut certa possimus quaeque cognoscere et factionum auctores fideli nuntio et inspectore non lateant, cancellarium nostrum Vitulum direximus, ut domni invictissimi principis affatus atque iudicium ad eximietatem tuam vel ad populum celeri festinatione deferret, illudque monemus ut, quicquid sacris auctoritatibus continetur, nulla temeritate violetur et, quae praecepta sunt, effectui celeri tradantur instantia, ne augusta clementia, quod nunc agnoscitur distulisse, commota maiestatis suae vigore emendare non differat. <26.Mar.419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.364

Günther 1895, pp. 76-78 (Collectio Avellana, no.31).

Exemplum sacrarum litterarum <Honorii> ad Symmachum praefectum urbis.

Cum ad sanandum primae perturbationis errorem hoc genus consilii clementia nostra reparandae pacis cupida repperisset, ut, donec de confirmatione urbani sacerdotii sententia procederet absoluta, uterque eorum, quorum causa tumultus antea concrevisset, a sacratissimae urbis conversatione seiunctus futuri iudicii expectatione penderet spatio, quo contineretur, alterutri evidenter expresso: aequo animo dissimulare non possumus praeceptis clementiae nostrae publicum paene bellum quo calcarentur indictum: movendi eius caput Eulalium, qui iussa transcenderit, exstitisse, secundum ordinem praeceptorum paulisper abesse non passum, Symmache parens karissime.

Unde sublimitas tua hoc nos statuisset cognoscat, ut et salubris superior ordo praecepti et moderata synodi ordinatio debeat custodiri, quod aliter fieri non posse censemus, nisi Eulalius omnimodis urgeatur: ut omni celeritate ab urbe dis<ce>dens insolenti populo praesens incitamenta non praebat, nec innocentibus causa mortis existat. Cui esse dubium non debet, si in hac praesumptionis obstinatione duraverit, non solum de statu suo iudicium iam prolatum verum etiam de salutis discrimine proferendum (culpa enim nullam veniam iam meretur, quae cum praedicatur non cavetur), nihil ex hoc excusationis habituro, quod se invitum a plebe asserat retentari.

Si qui autem ex numero clericorum communicandum Eulalio iudicio pendente censuerit, pari se sciat sententia esse damnandum; laicos vero, qui post interdictum mansuetudinis nostrae communionem Eulalii putaverint expetendam, honestioris loci poenam proscriptionis, servos vero capitis esse subituros nec ab hoc periculo dominos exuendos.

Primates vero regionum nisi spiritum plebis inconditae domuerint et frenarint, sciant se raptos ultimo iudicio esse subdendos:

Spolitinus autem episcopus, sicut dudum fuerat definitum, sanctis Paschae diebus ordinem festae sollemnitatis implebit, cui ad celebranda mysteria Lateranensem ecclesiam soli patere decernimus, reliquis, qui hoc praesumere voluerint propulsatis. Sane si praedictus sacerdos Spoletinae civitatis in loco eius sanctorum mysteriorum ordinem completurus suscipi debeat admonemus.

Per omnes vero titulos vel loca, quae conventu celebri frequentantur, haec quae statuimus proponuntur ut universis liqueat et noluisse nos turbidum aliquid perpetrari et adhuc ut turbata componi debeant opperiri.

Sciat sane sublimitas tua primiscrinium et reliquum officium, quod tuis actis obsecundat, non solum gravissimae multae dispendiis affligendum sed et supplicium capitis sortiturum, nisi enixa opera commodata statutis clementiae nostrae praebere maturarit effectum.

Data VII. Kal. April. Ravennae <26.Mar.419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.365

Günther 1895, pp. 79-80 (Collectio Avellana, no.33).

Exemplum sacrarum litterarum <Honorii> Symmacho praefecto urbis.

Moderatione praecipua egit nostra serenitas, ne locum possit invenire praesumptio. Ideo enim in iudicio venerabilium sacerdotum est dilata cognitio, ut quidquid religio, quidquid veritas postulabat, absque ulla perturbatione hoc disceptatio tranquilla decerneret.

Sed Eulalii usurpatione contra sententiam venerabilis synodi multa illicite commissa fuisse relationis textus edocuit; qui praesentia sua causam furoris populo subministrans totum perire voluit, quidquid moderatio nostra conservat. Nam cum ordinatione nostra et sententia episcoporum, quorum in synodo maior se multitudo collegerat, consensu etiam partium et professione id fieri definitum esset, ut sciret se specialiter esse damnatum, quicumque ad incitandum populum urbem fuisset ingressus: oblitus sui, probavit ex praesenti facto, quale videatur habuisse principium.

Quoniam ergo recte hunc post tot admissa urbe constat depulsum, ad quam eum accedere non debere et clementiae nostrae et episcoporum videretur statuere iudicium: Bonifatium venerabilem virum episcopum ad cuius moderationem auctoritatem nostram recte censuimus esse iungendam, Symmache parens karissime et amantissime, sublimitas tua urbem ingredi debere nos statuere cognoscat, ut sub eius gubernaculis religiosae legis reverentia moderatione solida compleatur.

Data III. Nonas April. <3.Apr.419>

Accepta VI. Id. April. <8.Apr.419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.366

Günther 1895, pp. 81-82 (Collectio Avellana, no.35).

Victor Honorius inclutus triumphator semper Augustus Largo proconsuli <africae>.

Inter omnes curas nec illa nos minus sollicitat, quae pertinere ad sacerdotium iudicamus. Cum enim de confirmando episcopo urbis aeternae controversia tractaretur atque hi, qui in unum positi erant, episcopi de tanto negotio paucos se aestimarent ad sententiam proferendam, placuerat, sicut sacri apices cucurrerunt, ut ex Africanis et Gallicanis provinciis plures episcopi commearent, ea videlicet ratione, <ne> in medio tempore quicumque praesumeretur <in> id quod nostra sententia ordinaverat et quod statuere synodi sententia videbatur.

Sed his omnibus despectis Eulalius sola usurpatione moram credit occupandam. Quem, sicut decebat, nostra auctoritate constat expulsum ac sanctum Bonifatium episcopum roboratum.

Et quoniam consumptum negotium est, incongruum nostra clementia iudicavit, si episcopi navigationis vel itineris iniuriam paterentur, unde sciat spectabilitas tua synodum fuisse solutam.

Admone igitur praemissis sacris affatibus auctoritate tua singulos sacerdotes, ut sciant hanc ordinationem esse servandam, quae continet, ut quisque in ecclesia sua orationibus vacet, ut convenit, propter ea quod causa optimo iudicio iam terminata videatur.

Data sub die VII. Id. April. <7 April 419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.367

Günther 1895, p.82 (Collectio Avellana, no.36); Hänel 1857, no.1173 pp.240.

Domino parenti honorabili Aurelio episcopo <Cartag.> Largus <proconsul africae>.

De merito sacerdotis, quem suis deus idoneum probavit, cessavit certamen. sanctum igitur ac venerabilem virum Bonifatium urbis Romae episcopum firmavit clementia principalis, cuius electione dudum sanctitatem tuam praecepit acciri, sicut sacri testantur affatus sui cum veneratione prolati.

oportet igitur populos ecclesiasque tuas festinanter invisas, cui navigationis est adempta necessitas.

Et alia manu: Incolumem te divinus favor praestet annis compluribus, domine pater merito honorabilis. <April 419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Pharr p.479

Mommsen 1904, p.911 (Constitutiones Sirmundianae, no.5).

Dd. nn. Honorius et Theodosius aa. ad Proiectum consularem.

Inverecunda arte defenditur, si hi ad condicionem vel originem reposcuntur, quibus tempore famis, cum in mortem penuria cogentur, opitulari non potuit dominus aut patronus. Porro autem iniquum est, si expensis alterius servatum hominem in lucem quisque sibi obnoxium quocumque titulo sperans audeat vindicare. Itaque magnificentia tua inspecta serie de his, qui per necessitatem aut comparati sunt aut fortasse collecti, in eorum dominium eos faciat perdurare; aut si ab aliquo flagitantur, enumerata duplici pecunia, quae data est, pretii nomine adque expensarum habita ratione, ita demum ad vindicantis auctoritatem eos redire permittimus, ne sit miserum ita exhibuisse alimoniam morienti, ut servatus in vitam postea commodis alterius in dispendio alterius prosit.

Data. XV kal. Iunias Monaxio et Plinta vv. cc. cons. <18.May.419>

419 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.368

Goldbacher 1911, pp.296-299 (Augustinus, Epistola 201); Mansi 1758f, v.4 (410 - 431) col.446, Migne 1844f, v.48, cols.394-397; also v.56, cols.493-494; Hänel 1857, no.1172 p.239

Imperatores Honorius et Theodosius Augusti, Aurelio episcopo, salutem.

Dudum quidem fuerat constitutum ut Pelagius atque Celestius infandi dogmatis repertoires ab urbe Roma, velut quaedam catholicae veritatis contagia, pellerentur, ne ignorantium mentes scaeva persuasionem perverterent. In quo secuta est clementia nostra iudicium Sanctitatis tuae, quo constat eos ab universis iusta sententiae examinatione damnatos. Sed quia obstinati criminis pertinax malum, ut constitutio geminaretur, exegit; recenti quoque sanctione decrevimus ut si quis eos in quacumque provinciarum parte latitare non nesciens, aut propellere aut prodere distulisset, praescriptae poenae, velut particeps, subiaceret.

Praecipue tamen ad quorundam episcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravos eorum disputationes vel tacito consensu astruunt, vel publica oppugnatione non destruunt, pater carissime atque amantissime, Sanctitatis tuae auctoritatem imminere conveniet; quatenus in abolitionem praeposterae haeresis omnium devotio christiana consentiat. Religio itaque tua competentibus scriptis universos faciet admoneri, scituros definitione Sanctimonii tui hanc definitionem sibi esse praescriptam, ut quicumque damnationi memoratorum, quo pateat mens pura, subscribere impia obstinatione neglexerint, episcopatus amissione multati, interdicta, in perpetuum expulsi civitatibus, communione priventur. Nam cum ipsi iuxta synodum Nicaenam

confessione sincera conditorem rerum omnium deum, imperiique nostri veneremur auctorem; non patietur tua Sanctitas sectae detestabilis homines in iniuriam religionis nova et inusitata meditantes, secretis tractibus occultare sacrilegium semel publica auctoritate damnatum. Una enim eademque culpa est eorum qui aut dissimulando conniventiam, aut non damnando, favorem noxium praestiterint, pater carissime atque amantissime.

(Et alia manu): Divinitas te per multos annos servet incolumem (pater charissime atque amantissime).

Data V Idus Iunias, Ravennae, Monaxio et Plinta consulibus. <9.Jun.419>

Eodem tenore etiam ad sanctum Augustinum episcopum data.

419 Honorius - Theodosius (2)

Pharr pp.486-484 / Coleman-Norton no.370

Mommsen 1904, p.917 (Constitutiones Sirmondianae, no.13).

Impp. Honorius et Theodosius Pii augg.

Convenit, nostris praescita temporibus ut iustitiam inflectat humanitas.

Nam cum plerique vim fortunae saevientis aufugerint adque ecclesiasticae defensionis munimen elegerint, patiuntur inclusi non minorem quam vitavere custodiam: nullis enim temporibus in luce vestibuli eis aperitur egressus.

Adque ideo quinquaginta passibus ultra basilicae fores ecclesiasticae venerationis sanctitas inhaerebit. Ex quo loco quisque tenuerit exeuntem, sacrilegii crimen incurrat. Nihil enim confugientibus miserationis impenditur, si aura liberior negatur adflictis.

Eam quoque sacerdoti concedimus facultatem, ut carceris ope miserationis aulas introeat, medicetur aegros, alat pauperes, consoletur insontes et cum singulorum causas scrutatus agnoverit, interventiones suas apud iudicem competentem pro iure moderetur. Scimus enim idque crebris aditionibus supplicatum frequenter ideo plerosque in custodiam detrudi, ut adeundi iudicis libertate priventur et, cum semel coeperit humilior persona pati custodiam, antequam causa sciatur, iniuriae poneam sustinere compellitur.

Confestim duas auri libras fisco nostro contumax solvet officium, si sacerdotem negotia tam sancta curantem ianitor feralis excluserit.

Data XI kal. Decemb. Ravennae Monaxio et Plinta vv. cc. cons. <21.Dec.419>

419 (420?) Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.371

Günther 1895, pp. 83-84 (Collectio Avellana, no.37); Mansi 1758f, v.4 (410 - 431) col.393, Migne 1844f, v.20, cols.767-769; Hänel 1857, no.1173 p.239 (excerpt).

Victor Honorius inclytus triumphator semper Augustus sancto ac venerabili Bonifatio papae urbis aeternae.

Scripta beatitudinis tuae debita reverentiae gratulatione suscepimus, omnipotenti deo maximas gratias referentes, quod sanctimoniam tuam post longum incommodum optatae redditam didicimus sanitati, et ideo revertentibus venerabilibus viris gaudium nostrum sacrorum apicum attestatione signamus ac petimus, ut cottidianis orationibus apostolatus tuus studium ac votum suum circa salutem atque imperium nostrum dignetur impendere.

Illud autem pietati nostrae satis placuisse cognosce, quod sanctimonia tua de ecclesiarum aut populi perturbatione sollicita est, quae ne aliqua ratione possit evenire, satis clementia nostra credidit esse provisum.

Denique praedicante beatitudine tua id ad cunctorum clericorum notitiam volumus pervenire, ut, si quid forte religioni tuae, quod non optamus, humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum ac, si duo forte contra fas temeritate certantum fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus sacerdotem, sed illum solum in sede apostolica permansurum, quem ex numero clericorum nova ordinatione divinum iudicium et universitatis consensus elegerit.

Unde id observandum est, ut omnes tranquillam mentem et pacificos animos e serenitatis nostrae admonitione custodiant nec aliquid seditiosis conspirationibus temptare conentur, cum certum sit nulli partium studia profutura.

420 Honorius - Theodosius (2)

Pharr pp.481-482 / Coleman-Norton no.372

Mommsen 1904, pp.914-15 (Constitutiones Sirmondianae, no.10.)

Excerpts in Cod.Theod. 16.2.44 (8.May.420) & Cod.Theod.9.25.3 (8.Mar.420)

Impp. Honorius et Theodosius aa. Palladio praefecto praetorii.

Religiosi sacerdotis fida suggestio exigit probabilem saeculo disciplinam. Agit enim bonis moribus, ne clerici sacris ministeriis servientes feminis iungantur externis, quas decolore consortio sororiae appellationis excusant. [*pr. Eum, qui probabilem saeculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiae appellationis non decet. 16.2.44*] Credimus quidem hanc devotis mentibus dei inesse reverentiam, ut divorsorii huius habitaculum conscientia pravae persuasionis ignoret. Sed hac societate seu amicitia non penetret, fama contaminat, datque sinistris moribus locum alterni sexus adiunctio, cum foris positos ac publico iure viventes ad illecebram criminis trahit obscaenae suspicionis exemplum.

Quae cum ita sint, inlustris et praecelsa magnificentia tua praesentis oraculi sanctionem propositis ubique divulget edictis, ut noverint cuncti, qui cuiuscumque gradus sacerdotio fulciuntur vel clericatus honore censentur, extraneorum sibi mulierum interdicta consortia: hac sibi tantum facultate concessa, ut matres, filias adque germanas intra domorum suarum saepa contineant. In his enim nihil scaevi criminis aestimari foedus naturale permittit.

Illas etiam non relinquere castitatis hortatur affectio, quae ante sacerdotium maritorum legitime meruere coniugium. Neque enim clericis incompetenter adiunctae sunt, quae dignos sacerdotio viros sui conversatione fecerunt. [*Quicumque igitur cuiuscumque gradus sacerdotio fulciuntur vel clericatus honore censentur, extraneorum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant; hac eis tantum facultate concessa, ut matres, filias atque germanas intra domorum suarum septa contineant. In his enim nihil scaevi criminis aestimari foedus naturale permittit. Illas etiam non relinquere castitatis hortatur affectio, quae ante sacerdotium maritorum legitimum meruere coniugium. Neque enim clericis incompetenter adiunctae sunt, quae dignos sacerdotio viros sui conversatione fecerunt. 16.2.44*]

Illam vero desiderii partem legum quoque praeceuntium scita solidarunt, ut quisquis dedicatam deo virginem prodigus sui raptor ambierit, publicatis bonis deportatione plectatur, cunctis accusationis huius licentia absque metu delationis indulta. Neque exigi convenit proditorem, quem pro pudicitia religionis invitat humanitas. [*Post alia: si quis dicatam deo virginem prodigus sui raptor ambierit, publicatis bonis deportatione plectatur, cunctis accusationis huius licentia absque metu delationis indulta. Neque enim, exigi convenit proditorem, quem pro pudicitia religionis invitat humanitas. 9.25.3*]

Data VIII id. Mai. Ravennae Domino n Theodosio aug. VIII et Constantio III v. c. cons. <8.May.420>

421 Honorius - Theodosius (2) - Constantius

Coleman-Norton no.373

Mansi 1758f, v.4 (410 - 431) cols.448, Migne 1844f, v.56, cols.499-500, also v.45, col.1750, also v.48, cols.408-407; Hänel 1857, no.1174 p.240-241.

Imperator Constantius Volusiano praefecto urbis.

Quae cum praeteritae superstitionis, tum recentia, plena vanitatis iamdudum corrigi iusseramus; quotidianis insinuationibus maiora fieri nuntiantur. Et quoniam discordia animos commovet populorum, ea, quae iamdudum iusseramus, praecipimus iterari.

Unde his lectis, eximietas tua, omnes, qui dei invident pietati, diligenter inquirat, et eos faciat statim ex muris urbis expelli; ita tamen, ut ne intra centesimum quidem lapidem habeant licentiam consistendi.

Caelestium quoque magis ac magis ex urbe pelli mandamus; constat enim iisdem e medio sublatis gratiam et concordiam tenere veterem firmitatem.

Sane deinceps si tale quidquam fuerit nuntiatum, officium praestantiae tuae capitali sententiae subdendum esse cognosce. Non enim patimur impunitum esse, praecepta nostra executionis negligentia protelari. Vale, parens carissime atque amantissime.
Et adiecta subscriptio: Impleatur quod iussimus, quia hoc famae tuae expedit.

Coleman-Norton no.374

Migne 1844f, v.45, col.1751, also v.56, col.500; Hänel 1857, no.1174 p.241.

Exemplar edicti propositi a Volusiano praefecto urbis.

Volusianus Praefectus edixit:

Hactenus Caelestium divinae fidei et quietis publicae turbatorem iudiciis amica reis secreta subduxerint. Iam leges et iam edicta persequentur absentem. Cui, quod primum est, aeternae urbis negatur habitatio: ut si vel in proximis fuerit diversatus, debitum non evadat exitium.

Pro merito etiam temeritatis atque ausus sui, cunctos huius edicti cautione praemonemus, ne quis iniquus noxio latebram putet esse praebendam: cuique cum horridi sit posita poena supplicii, ac stylum necesse sit proscriptionis incurrere, quisquis reum divinis humanisque rebus apud se putaverit occultandum.

Another version, Migne 1844f, v.48, cols.408-409.

Edictum propositum a Volusiano praefecto urbis.

Volusianus praefectus urbis edixit:

Hactenus Coelstium divinae fidei, et quietis publicae turbatorem, iudiciis, amica reis secreta subduxerunt.

[...], quisquis legibus divinis humanisque reum apud se putaverit occultandum.

421-3 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.375(II)

Holstenius 1662 pp. 81-83; Mansi 1758f, v.8 (492-536) col.759; Migne 1844f, v.20, cols.769-770; Hänel 1857, 1174 p.240.

Exemplar epistolae piissimi imperatoris Honorii ad Theodosium Augustum.

Omnibus quidem causis, in quibus nostrum postulatur auxilium, intercessionem apud aures tuae clementiae negare non possumus: sed his maiorem necessario curam studiumque debemus, quibus sanctae sedis apostolicae desideria continentur. Nam cum favore divino nostrum semper gubernetur imperium, procul dubio illius urbis ecclesia speciali nobis cultu veneranda est, ex qua et Romanum principatum accepimus; et principium sacerdotium. Si quidem nihil aliud a pietate nostra postulaverit missa legatio, nisi quod catholicae fidei disciplinae et aequitati concordet. Petit enim ut haec privilegia, quae dudum a patribus constituta usque a tempora nostra servata sunt, inconcussa perdurent. In qua parte perspicit serenitas tua, nihil vetustis decretis, si quae canonum conscripta sunt regulis, penitus derogandum; nec tot iam saeculorum reverentiam novellis praepiudiciis sauciandum, domine.

Unde maiestas tua, recensitis nostrae pietatis affatibus, Christianitatis memor, quam pectoribus nostris misericordia caelestis infundit, universis remotis, quae diversorum episcoporum subreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem praecipiat custodiri: ne sub principibus christianis romana perdat ecclesia, quod aliis imperatoribus non amisit.

421-3 Honorius - Theodosius (2)

Coleman-Norton no.375(III)

Holstenius 1662, pp.83-84; Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.759-760; Migne 1844f, v.20, cols.770-771; Hänel 1857, no.1174 p.240 (excerpt).

Rescriptum Theodosii Augusti ad Honorium Augustum.

Dignum meretur iudicium, quisquis perennis principis affatus ad nostram videtur deferre clementiam, domine, sancte pater, auguste venerabilis, tum praecipue christianae religionis intuitu, quae venerandis sensibus maiestatis tuae infusa est, ut per nostra corda latius porrecta servetur. Deus enim auctor ideo praesules fecit christianorum principum posteros, ut omni

subreptione frustrata, id quod a maioribus nostris constitutum est, reservetur. Et quanquam non solum in his, quae divina suffragia incorrupta servarunt, affatus perennitatis tuae a nobis observentur affectu celeri omnique veneratione suscepta, tum praecipue haec res; quia saeculi totiusque regni nostri sospitatem illius inclitae urbis nomen hactenus servat.

Unde omni supplicantium episcoporum per Illyricum subreptione remota statuimus observari, quod prisca apostolica disciplina et canones veteres eloquuntur. Super qua re secundum formam oraculi perennitatis tuae, ad viros illustres praefectos praetorii Illyrici nostri scripta porreximus, ut cessantibus episcoporum subreptionibus, antiquum ordinem specialiter faciant custodiri: ne venerabilis ecclesia sanctissima urbis privilegia a veteribus constituta amittat, quae perenne nobis sui nominis consecravit imperium.

421-423 Honorius - Theodosius (2) - Constantius

Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: CIL 06, 01749 (p 3813, 4750) = D 00809; Hänel 1857, no.1174-1176 p.241.

Petroni Maximi domini nostri invictissimi principes Honorius Theodosius et Constantius censores remuneratoresque virtutum Petronio Maximo v(iro) clarissimo praefecto urbi adpetitione senatus amplissimi populique Romani statuam meritorum perenne monumentum in foro Ulpio constitui iusserunt cuius a proavis atabisque nobilitas paribus titulorum insignibus ornatur qui primaevus in consistorio sacro tribunus et notarius meruit nono decimo aetatis anno sacrarum remunerationum per triennium comes post praefectus urbi anno et sex mensibus hasque omnes dignitates intra vicesimum quintum adsecutus aetatis annum publicum in se testimonium et aeternorum principum iudicum provocavit

425 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Pharr pp.479-480 / Coleman-Norton no.387

Mommsen 1904, pp.911-12 (Constitutiones Sirmondianae, no.6).

Excerpt in Cod.Theod.16.2.47 (8.Oct.(6.Aug.)425)

Imp. Theodosius a. et Valentinianus caesar Amatio v. i. praefecto praetorio Galliarum.

Privilegia ecclesiarum vel clericorum omnium, quae saeculo nostro tyrannus inviderat, prona devotione revocamus. Scilicet ut quidquid a divis principibus singuli quique antistites impetrarunt, iugi solidata aeternitate servantur [*pr. Privilegia ecclesiarum omnium, quae saeculo nostro tyrannus inviderat, prona devotione revocamus, scilicet ut quidquid a divis principibus constitutum est vel quae singuli quique antistites pro causis ecclesiasticis impetrarant, sub poena sacrilegii iugi solidata aeternitate servantur. 16.2.47*] nec cuiusquam audeat titillare praesumptio, in quo nos nobis magis praestitum confitemur.

Clericos etiam, quos indiscretim ad saeculares iudices debere deduci infaustus praesumptor edixerat, episcopali audientiae reservamus, his manentibus, quae circa eos sanxit antiquitas. Fas enim non est, ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. [*Clericos etiam, quos indiscretim ad saeculares iudices debere deduci infaustus praesumptor edixerat, episcopali audientiae reservamus. Fas enim non est, ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. Et cetera. 16.2.47*]

Illustris itaque auctoritas tua omni aevo mansura quae iussimus in provinciarum missa notitiam praecipiet etiam sub poena sacrilegii custodiri, specialiter id illustribus comprehensura praecipit, ut in omnibus circa ecclesiastica privilegia veterum principum statuta servantur.

Diversos vero episcopos nefarium pelagiani et caelestiani dogmatis errorem sequentes per Patroclum sacrosanctae legis antistitem praecipimus conveniri: quos quia confidimus emendari, nisi intra viginti dies ex conventionis tempore, intra quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint seseque catholicae fidei reddiderint, gallicanis regionibus expelli adque in eorum loco sacerdotium fidelius subrogari, quatenus praesentis erroris macula de populorum animis tergeatur et futurae bonum disciplinae iustioris instituat.

Sane quia religiosos populos nullis decet superstitionibus depravari, manichaeos omnesque haereticos vel schismaticos sive mathematicos omnemque sectam catholicis inimicam ab ipso

aspectu urbium diversarum exterminari debere praecipimus, ut nec praesentiae quidem criminorum contagione foedentur.

Iudaeis quoque vel paganis causas agendi vel militandi licentiam denegamus: quibus Christianae legis nolumus servire personas, ne occasione domini sectam venerandae religionis inmutent.

Omnes igitur personas erroris infausti iubemus excludi, nisi his emendatio matura subvenit.

Data VII idus Iulias Aquileiae d. n. Theodosio a. XI et Valentiniano cons. <9.Jul. (6.Aug.)425>

428-429 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: CIL 03, 00448 = CIL 03, 07151 = CIG 02701 = IK-34, 00611 = AE 2001, +01850.

Theodosius (2) to Eudoxius, comes sacrarum largitionum.

Suggestionem tuae sublimitatis de portorio vici Passalietum Mylasensium] cibitatis(!) utpote et rei p[ublicae vel aerario et eius civitatis utilitatibus] profuturam debita cum l[aud]e confirmamus et per hanc divinam pragmaticam defini]mus sanctionem nulli [dictum vectigal exigere licere neque quemquam id vertere in propria] lucra posse quoquo mo[do] 3 merces quae] de portu eius veniunt ac ne[gotiandi causa] 3 tuae proin]de sublimitatis proficiunt [3 Eudoxi f(rater) a(mantissime)] inlustris igitur auctori]tas tua quae per hanc divi[nam pragmaticam sanctionem] 3] contra temeratores [3] a consulibus curavi[mus] 3] pridie Idus Martias Co(n)s[tantinopoli <14.Mar.428/29>

430 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.397

Mansi 1758f, v.4 (410 - 431) cols.1111-1116.

Imperatores Caesares, Theodosius, et Valentinianus, victores, triumphatores, maximi, semper Augusti, Cyrillo episcopo.

Pendet a religione qua deus colitur, nostrae reipublicae status, multaque inter hunc et illam cognatio ac familiaritas intercedit. Nam et connexa inter se sunt, et utrumque prosperis alterius successibus incrementa sumit: ut vera quidem religio per vitam inculcate actam, ipsa vero respublica constans ex utrisque floreat. Cum itaque deus imperii habenas nobis tradiderit, iisque qui imperio nostro parent, pietatis, et vitae recte instituendae vinculum nos esse voluerit; harum inter se societatem indivulsam conservamus, dei providentiae hominumque sequestres; et illius quidem ministri sumus ad propagandam rempublicam: subditos vero omnes, ut ita dicam, lustrantes, illud curamus ut pie credant, vitamque ut pie credentes decet, instituant: denique utrique, quam par est, curam imendere non desistentes. Fieri enim non potest, ut qui alteri serio invigilant, alterius curam negligant.

Ante omnia operam damus, ut ecclesiasticus status eiusmodi sit, qui et deum deceat, et temporibus nostris quam maxime congruat; idemque ex omnium concordia et consensione suam tranquillitatem obtineat; tum per ecclesiasticarum controversiarum pacem, a turbis seditionibus liber existat: tum demum ut pia religio ab omni omnino nota et reprehensione immunis perseveret; eorumque vita, qui vel inter clericos censentur, vel magno quoque sacerdotio funguntur, omni prorsus naevo et culpa vacet.

Haec porro considerantes per dei amorem et piorum animos mutua caritate coniunctos obtineri posse, saepenumero iam ante ob ea quae acciderant, religiosam sanctissimorum episcoporum undequaque in unum coactorum synodum necessariam iudicavimus. Hactenus tamen ne eorum pietati molestiam exhiberemus, cunctatioribus hac in re fuimus. At nunc vero tam ecclesiasticarum, quam quo hisce cohaerent, publicarum rerum controversia eam usque adeo necessariam declarat, ut omitti nullo modo queat.

Quamobrem ne illa, quae ad praesentem rerum tantopere utilium inquisitionem spectant, si negligentius curentur, in peius incrementa sumant (id quod a temporum nostrorum pietate alienum est) tua pietas, deo bene propitio, operam dabit, ut sacrosancto proximo paschate elapso, ad ipsum sacrae pentecostes diem ad Ephesiorum Asiae civitatem accurrat, nonnullosque, quos

nimirum idoneos iudicabit, sanctissimos provinciae suae episcopos simul eodem secum adducat: ita ut neque qui satis sint sanctissimis eiusdem provinciae ecclesiis, desint, neque ii rursus qui ad eam rem apti censebuntur, in sacra synodo desiderentur.

De hac autem sanctissima synodo nostra serenitas ad omnes omnino deo dilectos episcopos metropolitanos literas scripsit; quo nimirum hac tandem ratione turbae, quae ex multis dissidiis et concertationibus hinc inde enatae sunt, secundum ecclesiasticos canones consopiantur; et illa praeterea quae parum decenter hactenus admissa sunt, corrigantur; et pietatis denique, quae in deum est, publicaeque utilitatis firmitati consulatur.

Nulla interim ante sanctissimam coactam synodum, communemque eiusdem, qua de omnibus dabitur sententiam, facta privatim a quibuscumque innovatione.

Omnino autem persuasum habemus, neminem ex deo devotissimis episcopis fore, qui simulatque rerum ecclesiasticarum, atque adeo negotiorum totius orbis gratia, nostra hac sanctione sanctissimam synodum vehementer sollicitari intellexerit, non propere studioseque occursurus, rebusque tantopere necessariis, ac deo usque adeo gratis pro virili consulturus sit. Nos quoque harum rerum curae sedulo incumbentes, nullum aequo animo abesse sinemus, nec ullam ille vel apud deum, vel apud nos habiturus est excusationem, qui statim impigre secundum significatum tempus ad destinatum locum praesto non fuerit. Enimvero quicumque ad sacerdotalem synodum accitus alacriter non accurrit, is sane conscientiae minus sinceram se esse ostendit.

Deus in multa tempora incolumem te conservet, sanctissime piissimeque pater.

Datae Constantinopoli XIII. Kalend. Decembris, consulatu dominorum nostrorum semper Augustorum, Theodosii quidem XIII. Valentiniani vero III. <19.Nov.430>

Another version in Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.531-532.

Imperatores Caesares Theodosius et Valentinianus, victores, triumphatores maximi, semper Augusti, Cyrillo episcopo.

Pendet in dei cultura nostrae vitae status, et multa his inest cognatio et insertio. [...]

Data XIII. Kal. Decemb. Constantinopoli, consulatu dominorum nostrorum Theodosii XIII. et Valentiniani III. pp. Augustorum.

430 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.398

Mansi 1758f, v.4 (410 - 431) cols.1109-1112.

Imperatores Caesares, Theodosius et Valentinianus, victores, triumphatores, maximi semper Augusti, Cyrillo episcopo.

Pietate quidem nihil nobis est antiquius, propter quam delinquentes veniam consequuntur. At parum interim laudabile est, illos ea indigere, qui a nobis commendari, et propter venerandam religionem maximis honoribus cumulari debuerant. Oportet autem sacerdotes cum morum probitate, fideique integritate spectabiles esse, tum maximum animi candorem ac sinceritatem per omnem vitae cursum prae se ferre; ac certo denique secum statuere, uniuscuiusque rei naturam, praesertim vero incorruptae pietatis doctrinam, disquisitione potius, quam pertinaci animorum contentione inveniri. Etenim iam inde a primis usque temporibus non imperantis cuiuspiam, aut certe imperium usurpantis interminationes aut proterviae, sed sanctorum patrum, et sacrae synodi decreta eam nobis constituerunt. Nam religionem intelligentia magis quam iussione firmari, nulli opinor dubium esse potest.

Nunc igitur tua pietas exponat, quid ita nobis, quibus religionem tantopere curae esse non ignorabas; sacerdotibusque quotquot circumquaque degunt (quos utique in unum locum congregatos, natam de religione controversiam discutere dirimereque par erat) despectis, hasce turbas discordiasque inter ecclesias quantum in te est, concitaris. Quasi vero impetus temerarii pietatis doctrinam magis, quam sedula, diligensque veritatis inquisitio decere videantur; plusque apud nos valeat audacia, quam adhibita industria; aut perplexa nos magis huiusmodi rerum tractatio, quam simplicitates oblectet. Certe summum honorem in quo apud nos erat, non ita accepturam pietatem tuam existimabimus, aut omnia turbatum iri, cum nos indignari etiam

sciamus. Verum curae nobis erit ecclesiae tranquillitas. Scito interim, magnam abs te rerum perturbationem excitatam esse. Neque mirum est sane, eum qui modum excessit, iis conatus suos non definivisse, quae ad ecclesias et sacerdotes spectant; sed de nobisipsis quoque quiddam pietate nostra indignum credidisse. Nam nisi aliquod inter nos dissidium esse putasses, aut certe aliquid eiusmodi ex literis tuis oriturum sperasses; cur obsecro, alia privatim ad nos, et ad Eudociam religiosissimam coniugem meam, alia vero ad Pulcheriam sororem meam Augustam, eamdemque pietatis studiosissimam perscripsisses? Quod profecto dissidium si inter nos forte natum fuisset, nosque ad eum modum affectos esse contigisset; omnino tamen vituperationem effugere non potest, eum, qui tanto locorum intervallo a nobis disiungitur, curiosius in res nostras inquirere: si id autem inter nos non existit, conari ut existat, cuiusvis potius, quam sacerdotis fuerit. Eiusdem porro est animi eiusdemque studii, ecclesiastica et regia omnia velle confundere ac se invicem divellere. Quasi vero alia omnis desit occasio, ex qua laudem et gloriam aucuperis. Ne igitur clam te sit, quoniam in statu res nostrae versentur, noris, et ecclesias et imperium coniuncta esse, nostraque accedente auctoritate, et Christi salvatoris nostri aspirante providentia, magis subinde inter se coitura esse: tum tibi quoque a nobis condonatum esse, ne hinc capta occasione iure conqueri ac dicere queas, te ob pietatis doctrinam in reprehensionem incidere. Quam quidem pietatis doctrinam in sacra synodo discuti examinarique volumus, et ratum esse quod rectae fidei consonum videbitur; sive illi qui victi discedent, veniam impetraturi sint a patribus, sive non. Ceterum nos civitates et ecclesias conturbari nequaquam sinemus; sed nec eam quoque doctrinam indiscussam manere patiemur, cuius oportet eos esse iudices, qui sacerdotiis ubique praesident, et per quos ipsi in veritatis sententia sumus et erimus. Omnino autem nemo, qui vel parum sit in republica versatus dignus censendus est qui in iis quae agit et loquitur, libertate utatur, si prae se ferendo fiduciam, huiusmodi iudicium declinare velit: neque enim licebit hoc illi, etiam si velit: quandoquidem nostra maiestas eos qui prompte alacriterque ad huiusmodi inquisitionem advolare non cunctabantur, merita laude necessario prosequetur; ceteros vero, si qui imperare forte malint, quam in medium consulere, aut aliorum de eiusmodi rebus consilium audire, nequaquam patietur.

Quamobrem et tuam quoque reverentiam ad tempus, quod aliis literis ad universos metropolitanos episcopos missis significatur, praesto adesse oportebit neque prius nostram amicitiam te recuperaturum confidas, quam omni turbatione et animorum aegritudine sedata, ad propositarum quaestionum discussionem ultro accurreris. Etenim hac ratione, quae pro tuenda opinione acerbe quidem inconsulteque abs te iam gesta sunt, nullo tamen privato dolore percussus, neque alicui praeter decorum infestus admisisse, et quae adhuc reliqua sunt, legitime transigere velle censeberis. Neque enim nos, si secus facere volueris, sustinebimus.

Another version in Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.527-528).

Imperatores Caesares Theodosius et Valentinianus, victores, triumphatores maximi, semper Augusti, Cyrillo episcopo.

Curae multae est dei cultura nobis, propter quam delinquentes venia potiuntur. [...].

Non enim volentem aliter sustinemus.

430 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.399

Hänel 1857, no. 1183 p.241.

Imp. Theodosius et Valentinianus AA. ad Virum <?Albinum> praefecto praetorio.

Audemus quidem sermonem facere solito plus timore capti, de sanctis et venerabilibus sacerdotibus, et secundis sacerdotibus, vel etiam levitis, et eos cum omni timore nominare, quibus omnis terra caput inclinat.

Audivimus enim perfidiam in urbe ad deum vivum et imperium nostrum fieri.

Sed si quis ausus aut temerarius legi ecclesiae vel clerico, per quos nostrum pollet imperium, audere voluerit, si accusationem ditior persona protulerit, reposita poena fisco nostro, id est, centum pondo auri et centum pondo argenti inferre cogatur, et sic cum actoribus ecclesiae

causam dicat. Si autem infirmior fuerit persona, prius cogitet animo suo perfido, et sic accuset, et criminis causam dicat.

Numquam obrepto patrimonio nostro nescio qua perfidia tentare audeat militantes in palatio Christi; terrae curiae hinc adduci iussimus et manus eius implumbari. Si autem voluerit liberam degere vitam, nihil illi sint curae ecclesiae catholicae.

De obnoxiiis vero, si qui ambulaverint cum episcopo vel cum presbytero vel etiam diacono sive in platea, sive in agro, sive in quolibet loco, nullo pacto eos retineri vel adduci iubemus, quoniam in sacerdotibus ecclesia constat.

Dat. XV. kal. Ian. Ravenna, Theodosio XIII. et Valentiniano III. aa. coss. <18 Dec 430>

431 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.400

Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.437-446.

Excerpted and adapted in Cod.Theod.9.45.4 (which begins: Impp. Theodosius et Valentinianus AA. Antiocho praefecto praetorio and ends: Dat. X. Kal. April. Constantinopoli Antiocho v.c. et qui fuerit nuntiatius <23.Mar.431>).

Edictum regium de his qui ad ecclesiam confugiunt.

Vetus iam inde a paganismi temporibus consuetudo, naturalisque legis sanctio pietatis causa obtinuit, ut apud omnes nationes, publicae administrationes, humanaeque functiones a religione sacrisque ceremoniis semper secernerentur; sacraeque non solum in summo rerum fastigio, sed velut in quodam posito in terris coelo collocarentur, quo accedere solis puris sanctisque fas esset. Hinc et illud quoque consequitur, ut omnium mentibus natura insitum sit, nullo modo quae deo dedicata sunt pollui posse, neque hominum insolentiam adversus vim divinam progredi. Quo enim pacto fieri queat, ut ea polluantur, quae semper munda esse necesse est? Aut qua ratione ea poterunt contaminari, quae semel sanctificata, nunquam talia esse desinunt?

Quapropter licet pro certo habeamus, ab iis quae paulo ante barbarica vesania contra divinum altare nefarie perpetrare ausa est, neque quod mundum erat pollui, neque quod natura sanctum contaminari potuisse: tamen quia id factum est, quod nullo modo futurum sperabamus, et usque ad religionem illa sceleratorum hominum pervenit audacia; ne vel impiis profana esse videantur ea quae divina sunt, neque in sacratis deoque dicatis locis liceat ea facere, quae ne in aliis quidem passim impune fieri permittendum est; et ut religio pervigili etiam pietatis custodia illaesa castaque permaneat; omnem violentiam, quae vel per audaciam, vel praeter voluntatem inferatur, ab omnipotentis dei ecclesia arcemus. Etenim si veterum Paganorum religio, quae error erat, et cui quod libitum fuisset deus erat, adeo superitionis suae observans fuit, ut altaria non quibusvis, sed certis sacerdotibus dumtaxat committeret, et sana sua perinde ac si ipsius quoque terrae situ extollerentur in arcibus ac munitioribus urbium locis dicaret, atque idola fabrefacta adoraret, maximaque cum veneratione ac vanitate coleret quanto magis par est, ut nos religionem nostram omni cum observantia custodiamus, ad quos deus ipse cum verae religionis cultu, coelum non deserens descendit, et tanquam cessione quadam inter deum et homines facta, homo deum in terram suscepit hominemque deus in coelum sustulit?

Ante alia autem hac re illi deum habent; quae, ut nostra natura fert, nullo modo alterum cum altero sine alterius detrimento coniungimus, ut nec ecclesiasticis aedibus sacrisque altaribus ex nimia confugientium desperatione vel confidentia, contemptu vel temeritate, audacia vel insania, iniuria aliqua, praeterquam deceat, inferatur; et unicus extremusque miserorum, opeque destitutorum portus patientiore aperto sinu huiusmodi confugientes excipiat. Nemini qui maris fluctus et scopulos declinat, convenit terrae adimere tranquillitatem: bellum, in quem steterit acies, adversus eum sese dedentem minas deponit. Asylum olim defendit variis criminibus obstrictos, legum aspernans auctoritatem: maiores etiam nostri, ne aliquo modo timore percussis humanitas denegata videretur, in nostris quoque statuis aram salutis constituerunt; ita ut si qui vel extrema imaginum nostrarum vestigia forte contigerint, hi ab omnibus minis adversae fortunae liberati ac securi gaudeant. Iam si statuae complexus propter regiam maiestatem tantum praesidii

miseris conciliat: quantum opis illis debet esse paratum, qui salutis causa ad sacrosancta altaria confugiunt?

Pateant proinde trepidis magni dei templa; supplices fugientes communis suscipiat ara; nec ulla veluti superior comminatio divinum. auxilium, quod omnibus ex aequo sese offert, ab eius aedibus audeat propulsare. Qualis enim naufragorum in suis calamitatibus misericordia reliqua erit, si littus praecludas, et fontem siti laborantibus perturbes? aut quaenam humanis calamitatibus medicina supererit, si calamitosis deus ipse denegetur? Nostris igitur temporibus non solum sacrosancta altaria, et quadratum populi oratorium murorum ambitu circumseptum, confugientium securitati conferre sancimus: sed quidquid praeterea inde est loci usque ad ecclesiae fores extremas, per quas preces facturi primum ingrediuntur, hoc totum confugientibus misericordiae aram esse definimus et constituimus. Itaque medium templi spatium in praedicto loco positum, perfugium esse decrevimus: atque etiam reliqua omnia loca primis sanctae ecclesiae foribus post publica per circuitum cohaerentia, sive domus, aut hortuli, sive atria, aut balnea, aut etiam porticus sint, ingressos profugos volumus ut perinde ac intimum templum ius custodiendi habeant. Quamvis autem, si religionis atque pietatis ratio spectetur, quae exiguo loco distant, non parva observantiae ratione disiuncta sint; tamen ut securitatem confugientibus latius extendamus, et formidantibus auxilium porrigamus, omnem supradictum ambitum sine ullo discrimine portum esse quietis iubemus, ac neminem ad eos expellendos, sacrilegas manus iniicere, ne forte ille ipse qui id ausus fuerit, se in calamitates incidisse videns, auxilium expetens confugiat.

Hoc autem spatium adeo latum, urgente formidine, secure degendi, imo vero exspatiandi clementer concessimus; ita tamen, ut nemini confugientium in dei templo, aut apud sacras aras manere, aut cibum sumere, aut dormire, aut etiam pernoctare liceat; idque non modo clericis propter religionem fieri prohibentibus, sed ipsis quoque confugientibus facere pietatis causa detrectantibus: ne et qui confugiunt, dum usus proprios sacris rebus admiscent, impuro animo confugere videantur; et qui huiusmodi turpitudinem a sacris aedibus arcere possunt, pietatem, cui deserviunt, violare videantur.

Ceterum si quando usu veniat, ut alterutrum omnino offendendum sit; satius est, clericos amolientes a sacris altaribus eas iniurias, quae ab humana conditione et a natura oriuntur, audaces potius quam impios haberi, ac in hominem potius quam in deum peccare: quandoquidem hac posita lege nulla inhumanitatis suspicio clericos iure attigerit; cum timori ac securitati confugientium sit valde prospectum. Nam etsi dei templum humana naturalique necessitate foedari, et sacrosancta mysteria infami infirmitate misceri, ac divina a profanis contaminari, sacra denique ab impuris inquinari nequaquam patimur; non tamen confugientibus, quo minus opem implorarent, praesidii ostium praeclusimus; sed amplioribus quoque longioribusque spatiis illorum securitati consulendum existimavimus, et quod divinitati, et quod humanitati debetur, solícite religioseque observantes.

Ferrea autem, vel alterius generis arma ad defensionem comparata, ne confugientes habeant, neve intra sanctam ecclesiam inferant, omnino prohibemus. Haec namque, ut reliqua omnia eiusmodi, non modo a sacris templis et aris abesse volumus, sed a reliquis quoque omnibus ecclesiasticis habitationibus, mansionibus, hortis, balneis, atriis, ac porticibus, quae praesidio esse fugientibus superiori sermone declaravimus. Etenim fas non est, sanctissimis templis, aliisve ecclesiae locis ex nimia sollicitudine, discordiae ac bellorum materiam inferre. Sufficiat profugis istis dei auxilium, cui et arma et leges et ipsa etiam regia maiestas subiecta est. Nam et nos, qui semper iure imperii armis circumdamur, quosque sine armatis stipatoribus esse non convenit, dei templum ingressuri, foris arma relinquimus, et ipsum etiam diadema deponimus; et quo submissioris imperii speciem praeferimus, eo magis imperii nobis maiestas promittitur. Ad sacra quoque altaria munerum tantum offerendorum causa accedimus: et cum circumseptum sacrorum adytum ingressi sumus, statim egredimur; nec quidquam ex propinqua divinitate nobis arrogamus.

Quamobrem qui sine armis ad sanctum dei templum, vel ad sanctum altare, in quacumque illi gente vel in hac civitate confugerint, in templo dormire, aut etiam in altari, vel in ipsis locis cibum sumere, citra ullam iniuriam a clericis prohiberi debent. Et ita res haec erga eos gerenda est, ut non a prohibente iniuria inferri, sed religionis ratio rem quae geritur, exigere videatur. Proinde illos paventes, de sanctitate ac puritate loci commoneant; religioni cum humanis necessitatibus nihil commune esse doceant: intervalla intra septa ecclesiastica, ad ipsorum tranquillitatem securitatemque constituta sigillatim commonstrent: capitale supplicium contra temere irruentes statutum indicent: intelligant religionem lituanis sordibus, naturalisque necessitatis iniuria contaminandam aut profanandam non esse ei, qui per eam ipsam religionem tueri se ab iniuria velit. Quod si quispiam nihil his omnibus annuerit, aut assensus fuerit, tum demum religio mansuetudini anteferatur, et ex divinis locis ad ea quae superius dicta sunt, eum propulset audacia. Qui enim in magno metu est, periculum effugiet, nec propterea sacra religio humanarum necessitatum admixtione contaminabitur.

Porro si qui divinam opem expetentes, sanctissima dei templa cum armis ingredientur, aut cum apparatu qui naturae et gentium iure a religione arcetur, non modo illa inferre sacratis locis, verum etiam confligere conabuntur (quod ut adiuventur, vel audiantur, vel quia saevitiam videant, tolerandum esset) plenissima severitatis iussione et horrendis comminationibus praecipue ne id faciant admonebis. Nam qualem ille spem in religione collocat, qui in religionis contumeliam armis accinctus ingreditur?

Quod si quisquam furiis actus aliquod istorum nostrorum decretorum in quocumque ecclesiastico loco violaverit, sive id fiat extra templum, sive intra templum, sive etiam circa templum; iubemus ut confestim episcopi auctoritate a solis clericis arma deponere compellatur, et severius etiam pro sua salute, spe illi data atque fiducia, quod religione ac pietate securius muniatur, quam armorum praesidio. Quod si legis nostrae auctoritate, voceque ecclesiastica commonefacti in vesania sua perseverent, neque arma, quae praeter fas, non salutis, sed tyrannidis et sacrilegii audacia ceperant, reliquerint; sciant quod tot tantisque denunciationibus ac praeceptis placata religione, et a nostra serenitate, et ab episcopis excusatione facti deo reddita, pro sui sceleris ratione etiam per armatorum ingredientium vim abstrahentur, et omnium calamitatum generi subiicientur, et ea pie adversus eos gerentur, quae geri aequum est, pro eo quod gravia et tragica scelera admiscent. Quid enim ex his quae nuper summa cum audacia adversus religionem ac divinitatem patrata sunt ab his quibuscum admodum clementer actum est, non metuendum sit nobis ac formidandum, ita ut omnem insaniam viam atque occasionem adimamus, ne, quod primum in exemplum tragica perpetravit insania, idem quoque denuo (quod absit) sacrilego more admittatur?

Sed neque absque sententia ac iussione episcopi, vel etiam nostra, et iudicum qui in hac urbe aut etiam eorum qui in quovis alio loco sunt, armatum hominem ex ecclesiis abstractum tradere oportet; ne, si id multis atque diversis contra illos miseros liceat, ex ea re confusio oriatur. Nam eiusmodi cum armis confugientes metuere volumus ut corrigantur, auferri item eis arma, ne salutem in galea et clypeo quaerant.

Illud etiam, imo vero praecipue, hac lege sancimus, ut nefariae sacrilegaeque huiusmodi tumultuationes vel in ipsis initiis per armorum amolitionem, honestamque admonitionem sedentur, vel certe si in improba obstinatione permaneant, metu illustrissimae potestatis per moderationem et iustitiam et praestantem pietatem a praedictis rebus compescantur.

Haec ipsa, quae pro veneranda religione, et cum omni observantia, veneratione, honore, pietate, puritate, sanctitate ac reverentia vel maxime a fugitivis observari iussimus; neque humanitatem propter religionem abiiciendo, neque rursus religionem propter humanitatem contemnendo eo quod decet tum divinitati, tum humanitati attributo: propositis edictis in totum orbem, ut ad omnium notitiam perveniant, curabis: ut et confugientes, per decreti clementiam securi sint, et nullius hominis temeritate quae ad honorem religionis sancita sunt interdicant.

Lex haec proposita fuit indictione decimaquarta, duodecimo die mensis Parmuthi (hoc est septimo Aprilis). <7.Apr.431>

431 Theodosius (2) - Valentinianus (3)*Coleman-Norton no.401**Mansi 1758f, v.4 (410 - 431) cols.1117-1120; Hänel 1857, pp.245-246.*

Sacra ad sanctam synodum <Ephesinum> missa per Candidianum comitem domesticorum, cui servandi in synodo ordinis cura demandata erat.

Imperatores Caesares, Theodosius et Valentinianus, victores, triumphatores, maximi, semper Augusti, sanctae synodo.

Cum magnam omnium quae e republica sunt, curam habeamus, tum vero maximam illorum, quae pertinent ad pietatem: per ea namque cetera quoque bona hominibus adiiciuntur. Scripsimus promde non ita multo ante de pietatis vestrae synodo apud Ephesiorum metropolim congreganda, quae opus erat. Quia vero debiti ordinis quietisque, quam sacrae vestrae synodi consultationes deprecant, curam adhibere iure oportet; hanc quoque partem, quo undique tranquillitas adesset, non praetermisimus. Non arbitramur autem, pietatem vestram ut aliis pacem conciliet, alterius cuiuspiam extrinsecae opis egere; nihilominus ed nostrum erga religionem studium, singularemque providentiam pertinebat et hanc quoque non negligere.

Igitur Candidianum praeclarissimum sacrorum domesticorum comitem ad sacram vestram synodum abire iussimus; sed ea lege et conditione, ut cum quaestionibus et controversiis quae circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat: (nefas est enim qui sanctissimorum episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere) verum ut monachos, et saeculares, qui huius spectaculi causa vel eo nunc confluerunt, vel in posterum confluent, ab eadem, illa civitate modis omnibus submoveat (quandoquidem non licet, illos qui omnino necessarii non sunt ad sacrorum dogmatum examen, tumultus excitare, et iis quae cum tranquillitate a vestra sanctitate constitui definirique debent, obstaculum aliquod afferre) tum rursus, ut diligenter prospiciat, ne qua dissensio ex mutuo repugnandi studio coorta increbrescat, et saevae tempestatis instar debacchata, sanctissimae synodi vestrae consultationem, exactioremque veritatis indagacionem forte obturbet: sed ut iis quae dicuntur, rite perceptis, singuli inoffense quod visum fuerit in medium proponere, vel ab aliis propositum refutare queant: ut ea tandem ratione, ubi per singulas propositiones exceptionesque inquisitio citra ullam omnino turbam contentionemque habita fuerit, quod omnibus placitum probatumque erit, communi vestrae sanctitatis sententia constituatur decernaturque.

Ante omnia autem eidem magnificentissimo Candidiano mandatum est, ut quam studiosissime observet, ne quem ex sanctissima vestra synodo aut reditum molientem, aut iter ad curiam nostram affectantem, aut ad alium quemcumque locum abscedere cupientem, a constituto disquisitionis loco abire permittat. Hinc, ne aliam omnino ecclesiasticam quamcumque controversiam, undecumque natam vel motam, quae ad propositam sancti dogmatis considerationem non pertineat, ante moveri sinat, quam eorum omnium quae nunc in quaestionem vocata sunt, ambiguitate soluta, ea quae ad veritatis investigationem faciunt, exactissimo iudicio discutiantur, finemque orthodoxae religioni congruum sortiantur

Quin et huius quoque admonita sit vestra pietas, nempe, serenitati nostro visum esse, ut nulla omnino in sacra vestra synodo, aut etiam in publico Ephesiorum iudicio, pecuniaria aut criminalis causa adversus aliquem agitetur. Quod si quid eiusmodi extiterit, cuiuspiamve usu venerit, huius integram, cognitionem magnae huic nostrae civitati reservatam volumus.

Denique nec id quoque vobis clam sit; videlicet, magnificentissimum comitem Irenaeum neque sanctissimae vestrae synodi consiliis, neque his quae eximio legato nostro Candidiano a nobis demandata sunt, ullatenus communicare debere: ut qui solius amicitiae causa cum piissimo celeberrimae civitatis huius episcopo Nestorio Ephesum profectus sit.

431 Theodosius (2) - Valentinianus (3)*Coleman-Norton no.405**Mansi 1758f, v.4 (410-431) cols.1377-1380; Hänel 1857, p.246.*

Imperatores Caesares, Theodosius et Valentinianus, victores, triumphatores, maximi semper Augusti, sacratissimae synodo Ephesinae.

Magnificentissimi Candidiani devotorum domesticorum comitis relatu pietas nostra accepit, quaedam in Ephesiorum metropoli per tumultum, ac secus quam conveniat, transacta fuisse. Nam neque omnes, ut decretum erat, piissimi episcopi convenerunt (cum tamen magnae Antiochenae civitatis episcopus cum aliis metropolitanis iam appropinquaret) neque illi qui iam venerant, simul consultaverunt, nec inter se consenserunt, neque ea quae de fide sunt, modo quo oportebat, vel prout continebatur sacris literis nostris, quas subinde misimus, examinaverunt: sed res ita gesta est, ut manifestum evaderet, alios aliis esse infensos ob vehemens studium erga illa, quae quomodocumque placita sunt, nec velamen praetendere valentes.

Quare quae gesta sunt, studio acta esse, quilibet existimaverit. Proinde sacrae maiestati nostrae placuit, talem procedendi modum nullum habere locum, aut momentum: his vero quae inepte ac citra ordinem gesta sunt, cessantibus, doctrinam de pietate prius, sicuti decretum fuit, discuti, eamque, iuxta communem totius synodi sententiam in posterum obtinere. Neque enim pietas nostra aequo fert animo praeiudicia de industria praesumpta: quinimo quae gesta sunt, usque adeo aegre fert, ut donec pietatis dogmata ab universa synodo fuerint examinata, et quispiam e sacro nostro palatio una cum magnificentissimo Candidiano comite destinetur, qui nostro iussu quae, acta sunt cognoscat, quique quae legitimo ordini dissentanea sunt, prohibeat, neminem episcoporum qui convenerunt ab Ephesiorum civitate abscedere, vel ad sacrum nostrum comitatum venire, vel in suam patriam reverti, ullatenus sit passura.

Quod enim nulli hoc liceat, nullusve speret id tuto sibi successurum, hae literae sufficient ad denunciandum pietati vestrae, ne quid aliud praeter nostram iussionem iam ante perpetratis in posterum adiciat.

Quin et hoc quoque sanctitatem vestram non lateat, nos illustrissimis provinciarum praefectis scripsisse, ne ullum prorsus in patriam vel civitatem suam nostro iniussu redeuntem admittant.

Oportet enim omnia iuxta dei beneplacitum, contentione seclusa, veritatisque studio abhinc discuti, ac tum demum a vestra pietate confirmationem obtinere: quandoquidem sacra nostra maiestas non tamquam pro hominibus nunc, aut etiam pro sanctissimo piissimoque Nestorio, vel pro alio quopiam sollicita est, sed ipsius veritatis, et dogmatis ipsius curam gerit.

Datum tertio Kalendas Iulias, Flavii Antiochi, et alterius designandi consulatu. <29.Jun.431>

Another version: Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.567-568.

Imperatores Caesares Theodosius et Valentinianus, victores, triumphatores, maximi, semper Augusti, sanctissimo Ephesino Concilio.

Magnificentissimo comite devotissimorum domesticorum Candidiano insinuante didicit nostra pietas turbulenter quaedam et citra quod decet in Ephesiorum gesta metropolim, neque omnibus, sicut placitum erat, dei cultoribus Episcopis convenientibus, cum utique magnae civitatis Antiochiae episcopus adpropinquare iam cum aliis metropolitanis futurus esset, neque his qui iam advenerant pariter cogitantibus aut alterutris concordantibus, neque ea quae de fide sunt modo quo condecebat examinantibus; aut sicut semper directis nostris sacris continebatur epistolis, sed ut apertum esset quorundam adversus aliquos odium propter plurimum studium circa quaedam quolibet modo placita, neque velamine uti valentium.

Ideoque quilibet putabit studio gesta quae facta sunt. Unde placuit nostrae divinitatis locum quidem talem nequaquam habere auctoritatem, his autem quae inconsequenter gesta sunt vacantibus, quae circa pietatem sunt verba, sicuti placuit, prius examinentur, et secundum quod communiter omni concilio placuerit, in reliquum tempus valeant, non ferente nostra pietate ea quae ex studio praesumpta sunt, sic autem in his quae facta sunt indignante ut iuberemus donec et ab omni concilio dogmata pietatis examinentur, et dirigatur aliquis a sacro nostro palatio una cum magnificentissimo comite Candidiano, quae gesta sunt secundum iussionem nostram cogniturus, et quae sunt incongrua prohibiturus, neque

recedere aliquem congregatorum episcoporum ab Ephesina civitate, neque ad sacrum nostrum venire comitatum, aut ad suam patriam remeare, quatenus nulli hoc liceat, neque speret facile provenire.

Idonea quidem et haec sunt vestrae et beatitudini pronuntiare scripta, ne quid etiam aliud praeter nostram iussionem his quae facta sunt augeatur.

Sciat enim sanctitas vestra quia et iam clarissimis iudicibus provinciarum scriptum est nullum penitus permittere ad suam patriam vel civitatem extra nostram remeantem suscipi iussionem.

Oportet enim omnia, secundum quod deo placitum est, sine contentione et cum veritate examinata sic a nostra pietate confirmari, non tamquam pro hominibus nunc, neque pro sanctissimo et deo amantissimo episcopo Nestorio aut alio quolibet, sed pro ipso dogmate et ipsa veritate sollicitudinem habente nostra divinitate.

Data Kal. Iulias consulatu Fl. Antiochi et qui fuerit nuntiatus. <1. Jul. 431>

431 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no. 406

Mansi 1758f, v. 5 (431-441) cols. 593-595.

Exemplar sacrorum quae directa sunt per Ioannem comitem sacrorum <largitionum> sancto <Ephesino> concilio.

Caelestino, Rufo, Augustino, Theodoto, Alexandro, Acacio, Tranquillino, Valentino, Iconio, Ioanni, Acacio, Urso, Firmo, Himerio, Dexiano, Veriniano, Palladio, Asterio, Iuvenali, Flaviano, Helladio, Rabbulo, Alexandro, Maximo, Fritilae, Perigeni, Cyro, Ioanni alteri, Eutherio, Hellanico, Bosphorio, Cyro alteri, Venantio, Petro, Dynato, Dorotheo, Antiocho, Dalmatio, Eusebio, Seleucio, Eleusio, Eulogio, Sappido, Timotheo, Pio, Troilo, Herrenniano, Monimo, Olympio, Theophilo, Iuliano, Basilio et reliquis reverentissimis episcopis.

Quantum circa pietatem et progenitorum fidem zelum habeamus, ex plurimis praecedentibus arbitramur aperte monstrari, maxime vero etiam ex evocatione nuper facta sanctissimi vestri concilii hoc manifestum omnibus in universo orbe terrarum esse credidimus. Non enim ad modicum incumbente quadam dubitatione distulimus, ne celeriter eius solutio sequeretur; sed festinanter convenire sanctitatem vestram praecipimus; et nequaquam aestimantes pro pietate laborem sanctitati vestrae onerosum fore, legavimus tamen imperiali providentia huius difficultatem opportunitate temporis atque loci. Ephesiorum namque decrevimus civitatem et a terra et mari venientibus accessibilem, et omnibus suis et supervenientibus fratribus utilitatem illic commorantibus cum uberitate praebentem, quatenus pia nostrae tranquillitatis intentio ac sanctitatis vestrae concilii et concurreret et ad effectum facile perveniret.

Unde etiam nunc insinuatam a vestra sanctitate Nestorii et Cyrilli et Memnonis damnationem suscepimus.

Alia vero quae apud vos gesta sunt reprehendimus Christianam fidem rectitudinemque custodientes quam ex patribus progenitoribusque percepimus, et quam sanctissima synodus concorditer roboravit.

Curet igitur unusquisque sanctissimi vestri collegii, soluta omni dubitatione, et abscissis scandalis, cum pace et concordia ad propria remeare.

Ut autem sanctitas vestra non solum ex nostrae pietatis literis invitata ad unanimitatem et universalis pii dogmatis pacem respiciat, etiam literas sanctissimi episcopi Beroeae Acacii hoc suadentes direximus; qui sanctissimo vestro collegio adiici propter longam senectutem non valens, per ea quae scripsit suam beatitudinem decencia et orthodoxae religioni profutura exposuit; quae quales sint, ipsius epistolae lectio declarabit.

Cognoscat tamen vestra beatitudo quia magnificentissimum et gloriosissimum comitem sacrorum Ioannem hac causa direximus, ut ipse sciens circa fidem nostrae divinitatis intentionem, quae perspexerit utilia, faciat.

Another version in Mansi 1758f, v. 4 (410-431) cols. 1395-1398.

Coelstino, Rufo, Augustino, Theodoto, Alexandro, Acacio, Tranquillino, Valentino, Iconio, Ioanni, Acacio, Urso, Firmo, Himerio, Dexiano, Beriniano, Palladio, Asterio, Iuvenali, Flaviano, Helladio, Rambulo, Alexandro alteri, Maximo, Phritilae, Perigeni, Cyro, alteri Ioanni, Eutherio, Hellanico, Bosphorio, alteri Cyro, Vinatio, Petro, Dynato, Dorotheo, Antiocho, Dalmatio, Eusebio, Seleucio, Eleusio, Eulogio, Sappio, Timotheo, Pio, Troilo, Herreniano, Monimo, Olympio, Theophilo, Iuliano, Basilio reliquique reverentissimis episcopis.

Quanto pietatis, avitaeque fidei zelo assidue flagremus, id ex pluribus argumentis, praeterisque certis indiciis liquidum, ut putamus, evasit, quod etiam terrarum orbi patefactum credimus. [...]

Norit nihilominus vestra sanctitas, eam ob rem magnificentissimum et illustrissimum Ioannem sacrorum comitum a nobis missum esse, ut hic ipse sciens sacrae maiestatis nostrae erga fidem scopum, quae utilia perspexerit, ea perficiat.

431 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.408

Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.798-799.

Imperatores Caesares Theodosius et Valentinianus, victores, triumphatores, maximi semper colendi, sanctae synodo qua in Ephesina civitate convenit.

Intentionem quidem nostram, etiamsi non scriberemus nunc, ex multis aliis noveratis, et quantum pro recta fide habeamus studium et pro unitione ecclesiarum, a patribus hoc et ab avis edocti, et nihil usque hactenus sanae fidei praeponentes, propter quam etiam iam paulo ante in Ephesum vestram congregare festinavimus sanctitatem. Et dum congregati essetis, omnia huiusmodi scripsimus per quae consequens esset absque contentione vera fides, & quae olim tenuit inconcussibiliter permaneret, ad amicitiam vobis unitis. Quoniam vero propter intentionem impietatis ac saepe contentiones inter vos factae sunt quaedam, et acta nonnulla quae dissensiones haud dubie consequuntur, volentes in omnibus vobis terminari discordiam, magnificentissimum et reverentissimum divinorum a officiorum magistrum Ioannem direximus, ut contentiones quae inter vos natae fuerant solverentur. Dum vero necessarium videretur et hoc ut huc vestrum nonnulli venirent, quo pietas nostra etiam praesens inter praesentes audiret, ut unitio quam studemus pio proveniret assensu, hoc quoque peregrinus, universa peraveses suaviter disponenda. Sed quia permanet adhuc dissensio commissa, laborem reputantes vestram religiositatem sufferre ex ipsa necessitate Concilii, reverti Epheso ad propria concessimus universos et proprias rursum ecclesias obtinere, quod unusquisque faciat cum episcopis qui venerunt a provincia eius. Cyrillum vera solum, qui Alexandrinus quondam fuit episcopus, et Memnonem, qui fuit episcopus Ephesinus, neque vobis connumeramus, et ab episcopatu novimus esse alienos, sicut olim vestrae a nobis scriptum est sanctitati. Ad proprias ecclesias revertentes, civitatum quieti prospicite, dignam per omnia mansuetudinem sacerdotio amplectentes. Eorum siquidem quae hic quomodocumque fecistis esse aliquam satisfactionem convenit per ea quae sunt postea secutura. Erit autem, si ecclesiasticum decorem cum publica consequentia servaveritis.

431 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Mansi 1758f, v.4 (410-431) col.1466.

Divinae literae ad sanctam synodum Ephesinam, quibus ad sua remittuntur omnes episcopi, et sanctissimi Cyrillus ac Memnon restituuntur propriis ecclesiis.

Nos ecclesiarum pacem omni negotio praeferentes, non modo per nostros magistratus, sed et per nos ipsos volumus concordiam inter vos conciliare, qui crederemus impium esse ac nostro imperio indignum ut negligentibus nobis, nec omnia quae fieri possunt agentibus, dividerentur ecclesiae. Quia vero nec ad unitatem adduci potuistis, nec ad disserendum de rebus controversis convenire voluit vestra pietas, sanximus ut orientales episcopi ad regiones suas et ecclesias

revertantur, solvaturque synodus Ephesi collecta; Cyrillus praeterea in Alexandriam ingrediatur, et Memnon maneat Ephesi. Tantum enim significamus religioni vestrae, quod quamdiu victuri sumus, orientales non condemnabimus. In nullo enim coram nobis convicti sunt, nemine volente cum iis disceptare. Si ergo pro meta pacem habetis, eamque absque contentione cupitis, notum facite nobis. Sin minus, statim post accepta scripta haec de migratione vestra cogitate. Nos auctores non sumus, sed deus culpae affines cognoscit.

431 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: CIL 06, 01783 (p 3174, 3814, 4760) = D 02948 = AE 1971, 00024 = AE 2000, 00162 = AE 2004, +00193.

Nicomacho Flaviano cons(ulari) Sicil(iae) vicar(io) Afric(ae) quaest(ori) aulae / divi Theodosi praef(ecto) praet(orio) Ital(iae) Illyr(ici) et Afric(ae) iterum / virtutis auctoritatisq(ue) senatoriae et iudiciariae ergo / redita in honorem filii Nicomachi Flaviani cons(ularis) Camp(aniae) / procons(ulis) Asiae praef(ecti) urbi saepius nunc praef(ecti) praet(orio) / Italiae Illyrici et Africae / Imperatores Caes(ares) Fl(avius) Theodosius et Fl(avius) Placidus Valentinianus / semper Aug(usti) senatui suo salutem / clarorum atq(ue) inlustrium in re p(ublica) virorum adversum casus condicionis / humanae interpolatum aliquatenus adserere honorem et memoriam / defuncti in lucem a[etern]a[m(?)] revocare emendatio quaedam eius sortis / videtur quae praeiudic[iu]m [sum]mumq(ue) [detr]imentum(?) virtutum existimatur / bono nobiscum p(atres) c(onscripti) [fausto]q(ue) omine intellegitis profecto quidquid in resti/tutionem pr[istini honor]is(?) inlustris et sanctissimae aput(!) recor/dationis Flaviani Senio[ri]s adimus divi avi nostri venerationem esse / si eum quem vivere nobis servariq(ue) vobis quae verba eius aput(!) vos fuisse / pleriq(ue) meministis optavit sic in monumenta virtutum suarum titulosq(ue) revo/cemus ut quidquid in istum caeca insimulatione commissum est procul ab eius / principis voto fuisse iudicetis cuius in eum effusa benivolentia et usq(ue) ad an/nalium quos consecrari sibi a quaestore et praefecto suo voluit provecta / excitavit livorem inproborum nunc si aput(!) vos abunde causas piaetatis(!) / adstruximus accipite aliud quod de vestris in illum sensib(us) et provinciar(um) / omnium iudiciis muniamur quib(us) per illum locupletioris adhuc rei p(ublicae) / bona vel adservata vel etiam aucta tantum et aput(!) nos reverentiae contule/runt ut quod hodie facimus in pectorib(us) et sensib(us) vestris absq(ue) interpella/tione ulla mediae oblivionis fuisse noverimus ex quo quidem ipso non min[us] / memoriae illius quam nobis p(atres) c(onscripti) supra omnia praestitistis ut non inmerito / patientiae vestrae gratias agamus ne quid erga restitutionem honoris eius / admoniti potius quam sponte fecisse videamur cum alioque ipse etiam de institu/tione illius probatus saepe nobis parentibusque nostris Flaviani fili[us] / honor semiplenus etiam sub praefecturae praetorianae apice quem provide[ntia] / et industria sua cottidie auget delatus existimetur nisi integer tandem et absq(ue) ullo / [re]ligiosi muneris debito totius domus eius familiaeq(ue) sit gaudete ergo nobi[scum(?)] / p(atres) c(onscripti) optimo imperii nostri opere ut nobiscum recognoscitis et redditam vobis e[st] / patria<e=I> senatoris eius memoriam et dignitatem probate cuius consort[io] / clariores fuistis et in posteris eius eadem aput(!) nos reverentia vigetis / Appius Nicomachus Dexter v(ir) c(larissimus) ex praef(ecto) urb(i) avo optim[o] / statuendam curavi //

Dedicata [3] Sept(em)b(res) / [Bas]so et Antiocho vv(iris) cc(larissimis) cons(ulibus) <Sep.431>

432 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.411 (§I)

Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.283-284.

Exemplum sacrae ad Acacium Berrhoeaensem episcopum, et Simeonem Antiochensem anachoretam, aliasque provincias, ad unamquamque seorsum.

Nihil omnino eorum a nobis est praetermissum, quae religionis nostrae causa nostro studio effici debuerant. Atque hoc ipsum sanctitas vestra tum a Ioanne piissimo ecclesiae Antiochenae

episcopo, tum a ceteris sanctis episcopis qui cum illo sunt, dilucide cognoscere poterit. Acciderunt autem nonnullae circa hoc negotium difficultates et controversiae, quas de medio tollere et abolere conati, negotiorum adhuc multitudine impediti sumus. Certa nihilo minus fixaque stat sententia, ab hoc studio, non prius desistere, quam misericors deus, vestris intercedentibus precibus, unionem et pacem ecclesiis restituere dignabitur. Decet proinde tuam sanctitatem, omni diligentia et studio haec a deo deposcere, qui probatos Romanae religionis sacerdotes declaret.

432 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.411 (§III)

Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.281-284.

Litterae imperatorum ad Beatum Simeonem Styliten.

Quoniam exploratum habemus, totam reverentiae tuae vitam ad deum esse conversam, sicque vivere, ut divinam erga nos benevolentiam, certa quadam fiducia provocare queas, non potuimus in praesentia has ad te literas non perscribere, ut negotium, quod a divina providentia vere dependet, hoc potissimum tempore quammaxime conficere fatagas, nimirum ut tua opera bene radicata pax firmetur, dissidiumque diaboli technis iniectuum, e medio tollatur. Id quod tuae sanctitatis precibus freti, eiusdemque apud illos, qui eam confirmare, dissipatamque restituere possunt, hortatu impulsuque futurum minime dubitamus. Nam si Ioannes piissimus ecclesiae Antiochenae episcopus, eius qui contentionis iniecit semina, depositioni subscripserit, fidemque fecerit, se novo insanoque dogmati non consentire divulsorum membrorum unio subsequetur; cum omnes in hoc conveniant, atque concurrant: si, inquam, Ioannes hoc fecerit, religiosissimoque episcopo Cyrillo consenserit, cui occidentales, et Constantinopolitani, ac reliqui omnes terrarum orbis episcopi consentiunt; quae quondam fuerant coniuncta dei benignitate rursus coalescent. Hanc enim molestiam turbamque peperit supervacanea, parumque utilis, imo vero noxia doctrina. Quae quidem per vestras preces explosa; proculque ab animis nostris eliminata, pacatos nos reddere, et ut in dei auxilio ac praesidio speramus, recreare poterit. Nam contentio et discordia adeo nos conturbat, ut hanc existimemus praecipuam omnium nostrarum calamitatum esse causam; et confidamus, regni nostri res ex voluntate benignitatis dei esse processura, si res ecclesiae, et orthodoxae fidei membra coniuncta copulataque fuerint. In hoc egregio opere certa pulcherrimum certamen, ut superes daemonis conatus. Hoc enim tibi pro maximo certamine, et pro clarissima victoria imputabitur. Quam si adipisceris, te ipsum sequeris, dum ea facis quae profiteris; quibus etiam tibi fidem paras, consuetis orationibus, quaeso, nos ipsos et nostrum imperium, quique ei parent, sine intermissione deo commenda: ut nobis praecipue, qui convenientem curam de pace religionis ipsius gerimus, bona ab ipsius potestate copiose suppeditentur.

432 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.412

Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.277-282 (alternative versions in cols.663+665 and 664+666).

Exemplum sacrae imperatoriae per Aristolaum tribunum et notarium missae ad Ioannem Antiochenum episcopum, de sanctarum ecclesiarum pace et unione constituenda.

Imperatores Caesares, victores, triumphatores, maximi, semper Augusti, Theodosius et Valentinianus, Ioanni episcopo Antiochiaae.

Animi nostri scopus, collapsae pacis redintegratio est; quam vos iuxta vitae vestrae institutum profiteremini; ceterosque, omnes, utpote caritatis causa ad sacerdotium adiciti, docere nunquam definitis. Quia ergo hanc, unde minime decebat, turbari contigit, operae pretium visum est ad id vos urgere, ad quod alios universos, si quidem admonerentur, alacriter venturos nihil dubitamus Res etenim detestanda, planeque inexpectata nostris temporibus accidit; nempe sacerdotim verae religionis discordia, et ea quidem tanta, ut omnem narrationis modum excedat. Enim vero cum spes erat fore, ut omnis omnino contentio vel ad minimam suspensionem usque e medio

facesseret, perfecteque unionis fructus exurgeret, tum gravia dissidiorum, tumultuationumque incendia exarserunt. Vehemens proinde aegritudinis, magnique moeroris occasio ea ex re nobis offertur, quod ecclesiasticae pacis doctores, ipsique concordiae fontes eo discordiarum prolapsi sint, ut talibus indigeant qui illos suo hortatu eius rei commonefaciant, quam pro officii sui ratione praedicare debuerant. Quapropter huius tanti mali exitum inde invenire sperantes, unde originem traxit, enixeque ac diligenter, ut hoc conficiatur, curantes, ne hoc contentionis vitium latius serpat; consilii hoc cepimus, sanctissimo celebris huius civitatis episcopo Maximiano, ceterisque omnibus qui in ea comperti sunt sanctissimis episcopis, et universo illorum clero in eandem ac nos sententiam convenientibus, ad orthodoxae fidei membra; quae ante bene unita; infelicis casus interventu misere divulsa sunt, denuo conglutinanda, ut vos, hoc est, tu et Cyrillus religiosissimus Alexandriae episcopus, inter vos convenientes, omni simultate molestaque contentione, quae inter vos exarsit, deposita; ad pristinam concordiam rediretis; cum praedicti piissimi episcopi sponderent, si Nestorii depositioni subscriberes, illiusque doctrinam anathematizares, fore ut omnis altercationis materia mox e medio tolleretur, Cyrillusque sanctissimus Alexandriae episcopus cum suis, et sanctissimus Caelestinus quoque gloriosae Romae episcopus, ac reliqui omnes quotquot ubique sunt orthodoxae fidei sacerdotes, cum tua pietate ad communionem redirent: ceteris, si qua fonte erunt, quae emendationem desiderent, facile eam solutionem suscepturis, quam vos ipsi necessario sumentes, et simul vobis privatim et communiter omnibus persuadentes, afferetis. Cum itaque hoc nostrum esse studium et consilium non ignores, omnibus aliis tuis post habitis in hoc unum incumbere, ut omni contentione et aemulatione sublata, pax haec diligenter ac firmiter sanctissimis orbis ecclesiis, quae ubique orthodoxam fidem possidentur, et per illas omnibus subditis nostris cum Dei auxilio restituatur: utpote ad Nicomediae civitatem summa cum celeritate venire matures, nec ullum omnino episcoporum tecum adducas, sed paucos tantum clericos, qui sanctitati tuae famulentur. Omni ergo dilatione postposita festina, certo tibi persuasum habens, Cyrillo sanctissimo episcopo per maiestatis nostra: literas mandatum esse, ut ipse quoque eadem animi promptitudine ad eundem locum accurrat; ipsique denunciatum, nullum prius ad nos aditum habiturum, quam inter vos conveneritis, omnemque mutuam inimicitiam penitus exueritis, et ad confirmandam pacem per propriam concordiam communi omnium proposito consenseritis. Atque hoc ipsum et tuae quoque reverentiae denunciatum volumus. Etenim viris adeo celebribus, ut eos aut bona pacis, vel mala discordiae latere possint, nullo modo prius eos in conspectum nostrum admitteremus, quam ex omnia correcta emendataque fuerint, quae maxima nos aegritudine affecerunt. Interea vero dum exoptata pacis concordiaeque et mutuae inter vos amicitiae conventio per iter quoque ad nostrum colloquium confirmatur, nulla prorsus quorumcumque episcoporum aut creatio, aut depositio, aut quaecumque ordinatio tentabitur: sed si quid interim huiusmodi factum esse contigerit, id immotum et imperturbatum, ecclesiae catholicae compositionem expectet; cum religiosissimi clerici ad divina ministeria exequenda sufficere queant, donec perfecta unio consequatur. Habes haec a nobis; nec dubitamus, si sinceram immotamque et Christiana sedulitate dignam animi nostri sententiam inspexeris, quin totis viribus, totaque mentis virtute in hoc incumbes, ut ea omnia, quae a nostra pietate orthodoxae fidei sanctarumque ecclesiarum uniendarum causa, sancita et ordinata sunt, tempestive conficiantur, nullum eius rei gratia laborem, aut fatigationem, aut ignominiae contemptum, aut iniuriarum condonationem recusans. Si vero (quod non. credimus) nostram hanc sententiam, rectumque propositum privato consilio, humanaeque alicuius perturbationis impulsu contemnere ausus fueris, nostraque alia decreta parvifeceris, tibi imputabis, si sanctitas tua promptitudinis, quae sanctae dei ecclesiae componendae debetur, neglectae, meritas poenas dederit.

435 Theodosius (2) - Valentinianus (3) *Coleman-Norton no.422 Price v.1 pp.369-370*

Mansi 1758f, v.5 (431-441) col.414; Hänel 1857, no.1188 pp.247-248.

Excerpted and adapted in Cod.Theod.16.5.66 (which begins: Idem AA <Theodosius et Valentinianus>Leontio praefecto urbis and ends: Dat. III Non. Aug. Constantinopoli d.n. Theodosio A. XV et

qui fuerit nuntiatus cons. <3.Aug.435>) and *Cod.Iust.1.5.6* (which begins: *Idem AA <Theodosius et Valentinianus>Leontio praefecto urbis and ends: Dat. III Non. Aug. Constantinopoli Theodosio XV et Valentiniano III AA. cons.*)

Exemplum sacrae legis contra Nestorium.

Cultus ac veneratio, quam sanctissimae religioni debemus, postulat, ut illi qui impie erga divinum numen affecti sunt, meritis poenis subiiciantur, et nomine quod pravitate eorum conveniat, eiusmodi appellentur; ut hac infamia notati, aeternam errorum suorum poenam sustineant; et neque dum vivunt supplicio, neque post mortem dedecore unquam careant.

Cum ergo Nestorius portentosae doctrinae dux damnationis sententiam iam exceperit, superest ut opinionis illius socios, impietatisque consortes damnato nomine comprehendamus; ne Christianorum appellatione abusi, eorum decorentur vocabulo, a quorum dogmate sua impietate desciverunt.

Quamobrem hac lege sancimus, quotquot ubicumque exercendae opinionis Nestorii sequaces extiterint, eos Simonianorum nomine appellandos esse. Aequum est enim, ut qui aversi a deo impietatem Simonis aemulantur, eandem cum illo appellationem sortiantur. Quo etiam modo Ariani sanctione beatae memoriae Constantini, vocati sunt Porphyriani, quod Porphyrio similem impietatem imbibissent. Hic enim sermonis vi et efficacia veram religionem expugnare conatus, libros sibi potius infamiae, quam eruditionis commentaria reliquit.

Decernimus praeterea, ne quis impios nefarii sacrilegique Nestorii libros, quos de sacra orthodoxorum religione et adversus dogmata episcoporum, qui in sacra Ephesina synodo convenerunt, edidit, habeat, aut legat, aut transcribat: quos etiam omni studio ac diligentia undecumque conquisitos publice concremari volumus. Hac enim ratione fiet, ut omni impietate radicitus excisa, simplex multitudo, quae dolis haud difficulter capi solet, nullam errandi occasionem deinceps inveniat.

Nullam praeterea hominum adeo perditorum in ulla de religione disputatione, nisi sub Simonianorum nomine, mentionem fieri; nullamque domum, aut agrum, aut suburbanum, aut alium quemcumque locum conventus causa occulte aut manifeste eisdem concedi. decernimus enim huiusmodi homines omni conventus habendi facultate privatos esse: cum neminem omnino latere debeat, quod quicumque nostram hanc legem transgressus fuerit, et Nestorium imitatus, omnium bonorum amissione multabitur.

Summa proinde illustrisque auctoritas tua curet, ut nostra haec sanctio omnibus provincias incolentibus, edictis ex more propositis, nota fiat.

Hanc autem legem Romano simul et Graeco sermone edidimus, quo omnes illam perspicue intelligere queant.

Another version in Mansi 1758f, v.5 (431-441), cols.660-661.

Debita a nobis piissimae religionis cultura eos qui circa divinitatem impie agunt, poenis puniri dignis et nominibus eorum pravitate convenientibus eos appellari vult, ut exprobrationis subditi aeternam contumeliam delicti sustineant. [...]

Sublimis igitur tua potestas hanc constitutionem nostram ad notitiam universorum provincias habitantium praeceptis solemnibus pervenire procuret.

Hanc autem legem in Latina et Graeca lingua posuimus, ut omnibus aperta sit atque nota.

Another version in Mansi 1758f, v.9 (536-590), cols.249-50).

Price v.1 pp.307-308

Debitam a nobis venerationem piissimae doctrinae reddentes, eos qui ausi sunt contra deum impie conscribere, debitaee condemnationi subiicere, et nominibus dignis vocari oportere existimavimus. [...]

Tua igitur illustris eminentia praesentem a nobis expositam legem manifestam faciat per omnem terram habitantibus, et proponi per singulas civitates dignetur, quatenus per huius recitationem cognoscant omnes qui in quacumque provincia sunt, quae super his a nobis disposita sunt.

Eamdem autem legem nostram Graecis et Latinis scripsimus verbis ad recitantium felicitatem <? *facilitatem*>.

435 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.423

Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.415-418.

Edictum praefectorum de Nestoriis libris non legendis.

Flavius Anthemius Isidorus, Flavius Bassus, Flavius Simplicius Reginus, praefecti edicunt. Nihil imperatoribus nostris aeque gratum est, quam per omnia pietatem colere: nec immerito. Quia si de rebus gerendis assidue curam habere non refugiunt, ita ut quotidie, ut sic dicamus, pias noctes diesque curis continuant: quomodo non magis in causa pietatis ac religionis summo cum studio id servandum censeant?

Cum itaque religio quaedam absurda, temeritatisque et vesaniae plena oritura videretur, imo vero non oritura esset, sed etiam speciem sibi quamdam auctoritatis vindicasset; pro sua providentia, sine ulla perturbatione, summa cum tranquillitate, (quod illis insitum est semper, et per omnia consuetum) eiusmodi correctionem fieri praeceperunt, ut auctores quidem sceleris debita poena castigarent, ceteris vero ita prospicerent, ut nihil laesi, sed sola admonitione, si paruerint, in melius reformati, nihil ex iis quae possident amittant, sed illam perfectam, et quod caput est, aeternam, et quae post hanc vitam permanet, possessionem pietatis, si statim resipuerint, firmiter servent.

Quoniam vero humana natura errore semel correpta, callidisque sermonibus, et deterioribus cogitationibus irretita, difficile ut sanioribus conciliis acquiescat induci solet, ac propterea metu maiore opus est, graviorique animadversione: ideo iis qui fidei dogmata adulterant, in posterum ut quiescant indicunt, ut in melius consilia mutent, et ut neque ipsi in aliquem locum convenient, neque aliis ullum ad se pertinentem locum, stadium impietatis efficiant, seu in urbe sit ille, seu remotus, seu urbi proximus; et ut prorsus eiusmodi conventibus nulla pars terrae pateat.

Ceteris vero, qui insanis Nestorii commentis addicti sunt, et pro erroris viatico libros illius apud se habent; misereri quam punire malentes, denunciant, ut eiusmodi libros igni tradant, penitusque aboleant; ne tanti erroris monumenta si in republica volutentur, verae fidei impedimentum afferant: sed nec ullos quosque alios describant, in quos ne ab initio quidem incidisse longe sanctius erat; neque eiusmodi libros legant, a quibus quod existit damnum, totius summae interitum ac iacturam habet. Nam quid anima, quid fide pretiosus? quorum utrumque per huiusmodi lectionem laeditur: et dum animae praecipuam partem obcaecat, ut ad deteriora labatur occasionem praebet.

Ceterum ne, si qui sint, lateant, neve si propria appellatione vocentur, ipsius tragoediae auctoris admoneant, et ea ad memoriam revocent, quae satius erat oblivioni tradere; Simonianorum nomine illos vocandos esse decreverunt; gravissime in illos, si transgressi fuerint in posterum, animadversuri.

Denique ne edicti huius benignitatem pietatemque ignoretis, et ut regum nostrorum piissimorum intelligatis, quia per omnia subditis suis consulunt, ac soli dignam pro beneficiis cum in se, tum in terrarum orbem collatis vicissitudinem omnipotenti deo per fidem reddunt: nostro huic publico scripto, ut moris est, legem divino lumine plenam praelucere iussimus: cui obsequentes, vos ipsos a poenis immunes reddetis, pietatique assueti in omne futuri saeculi spatium immortalibus bonis potiimini; tanta assecuti commoda, quanta imperator legem ferens, et deus praeterea pie cultus tribuere solet.

Another version in Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.661-662.

Flavius Anthemius Isidorus, Flavius Bacchus, Flavius Simplicius Reginus, praefecti dicunt. Nihil ita carum imperatoribus est quomodo semper agere pie aut actibus huiusmodi diligentiam adhibere, qui quotidie, ut ita dicatur, non differunt noctes et dies curis continuantes, et magis in ipsa pietate hoc cum omni studio servare. [...]

[...]; cui obediens, supplicio vosmetipsos liberos facietis in futuro longo saeculo, agere pie discentes, immortaliaque beneficia promerentes; et in tantum vobis proderit quantum imperator sanciens et deus recte adoratus solitus est prodesse.

435 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.425

Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.255-256.

Antigraphum interpretationis decreti imperatorii, scripti ad Isidorum praefectum praetoriorum et consulem, de exilio Nestorii

Licet nostrum erga rempublicam studium conspicuum sit; non minori tamen nobis est curae; ut sacrosancta religio tuta consistat: qua videlicet a nobis custodita, in publicis quoque rebus nos adiuvari confidimus. Quare cum Nestorius catholicae ecclesiae quondam sacerdos, nunc vero fidei proditor, tantorum scelerum mole oppressus teneatur; necessarium est, ut nostrae serenitatis sententiae subiiciatur, calamitateque moribus illius digna opprimatur, ut qui venerandis ecclesiae legibus abiectis, nefandae haereseos auctor extiterit: et dum illorum, quod proditoris suae socios sibi adiunxit, fidem corrumpit, alienae corruptionis crimen in suam ipsius personam recepit. Tua proinde celebris dominatio hac pragmatica sanctione, sive peculiari auctoritate ostensa, praedictum Nestorium ob admissam a se impietatem in perpetuum exilium Petras deportari iubeat; omniaque illius bona ecclesiae Constantinopolitanae addicat; quo augustissime loci illius opes, cuius ille sacra mysteria nuper prodidit, auctiores evadant. Hac enim ratione religio sanctissimae fidei in mentibus hominum intacta perseverabit, et regni nostri felicitas religione munita florebit.

Another version in Mansi 1758f, v.5 (431-441) col.660.

<Interpretatio sanctionis imperatorum scriptae ad Isidorum gloriosissimum praefectum praetorio et consulem ordinarium>.

Licet pro sollicitudine publicarum rerum aperte nostrum sit studium, non tamen minor apud nos est religionis cautela sanctissimae; qua videlicet a nobis custodita, etiam in publicis utilitatibus nos adiuvari confidimus. [...]

Sic enim erit in animabus hominum sincera sanctissimae reverentia fidei, et felicitas nostri imperii munita religione florebit.

436 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.427

Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.1009-1010.

Imperatores Caesares Theodosius et Valentinianus, victores, triumphatores, maximi, semper colendi, Augusti, Deo amicissimo et beatissimo Archiepiscopo Ioanni et sanctae synodo quae cum eo convenit.

Perturbationem et tumultum qui contigit in oriente nostrum cognovit imperium a religiosissimo patre nostro et Episcopo Proclo. Et quia universorum quietis et pacis providentiam gerimus, maxime autem pro recta fide, quae nos nostrumque custodit imperium, per hanc epistulam vestrae scripsimus sanctitati ut patrocinemini paci, et nullius eos momenti deputetis qui contra salutem propriam volunt religionem saluberrimam perturbare. Illa est enim nostrae divinitatis intentio, ut cum quiete omnes homines degant, praecipue autem sanctae ecclesiae dei, per quas et nos salvamur et nostrum crescit imperium. Hac itaque voce quieti ecclesiae providete. Nos enim aliquid de vobis utilius expectamus (nisi ut hoc quoque cum omni statuatis ecclesia, ne quis adversus eos qui in eius pace defuncti sunt quicquam de cetero tale praesumat). Deus vos multis <annis> conservet, venerandissimi patres.

441-444 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Epigraphik-Datenbank Claus / Slaby: CIL 06, 01725 (p 3173, 3813, 4744) = D 01284 (p 174).

Fl(avi) Olbi Auxenti Drauc[i] / Fl(avio) Olbio Auxentio Drauco v(iro) c(larissimo) et inl(ustris) patriciae familiae / viro senatus munis prompta devotione perfuncto / comiti ordinis primi et vicario urbis Romae comiti / sacri consistorii praefecto urbis Romae ob egregia / eius administrationum merita quae integritate / censura et moderatione ita vigerunt ut sublimissimae potestatis reverentiam honorifica eius aucto/ritas custodiret et humanitatem amabilis censura / servaret petito senatus amplissimi qui est iustus / arbiter dignitatum excellentibus et magnificis / viris legatione mandata ut inpetratorum dignitas cresceret quae paribus studiis amore iustitiae / et providentiae desiderabantur dd(omini) nn(ostri) Fl(avi) / Theodosius et Placidus Valentinianus Invicti / ac triumphatores principes semper Augusti / ad remunerationem titulosque vitutum quib(us) / circa rem publicam eximia semper probitas / invitatur statuam auro fulgentem erigi conlocarique iusserunt

443 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Pharr p.7

Mommsen 1904, p.4. (Constitutio de constitutionariis).

Domini [nostri] Impp. Caesares Flavio Anastasio et Hilario Martino.

Quantum consulente viro inlustri Fausto praefecto praetorio numinibus nostris subdita senatus amplissimi gesta testantur, vidimus id, quod invictissimus princeps inter clementiae nostrae in custodiendi Theodosiani codicis observatione praecepit, a senatu diligentia maiore munitum, ut hi ad edenda exemplaria haberent tantum licentiam contributam, quos manebat periculum, si quid edita falsitatis habuissent. Et ideo vir inl. praefectus urbi, parens amicusque noster, ad cuius diligentiam pertinet observare diligentius, quod pro omnium cautela decrevit senatus, sciet vobis licentiam in edendis exemplaribus contributam, confectionem quoque memorati corporis vestro tantum periculo procurandam, nec habeant vel de editione vel de confectione commercium, cum ad vos certum sit redundare de falsitate discrimen, interminatione multae precibus comprehensae et sacrilegii poena constringi tam cognitionale officium quam eos, qui nostris minime paruerunt constitutis, omni obreptione cessante. <23 Dec 443>

448 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.445

Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.417-420; Hänel 1857, p.248.

Excerpted in the Greek text of Cod.Iust.1.1.3 which ends with the Latin: D. XIII K. Mart. Constantinopoli Zenone et Postumiano cons. <16.Feb.448>

Exemplum sacrae legis piissimi imperatoris Theodosii, adversus Porphyrium, ac Nestorianos, et adversus Irenaeum Tyrriorum episcopum.

Regiam nostram maiestatem decere arbitramur, ut subditos nostros de pietate admoneamus. Hac enim ratione futurum speramus, ut maiorem quoque dei et salvatoris nostri Iesu Christi favorem et benevolentiam nobis conciliemus, si nos et ipsi pro viribus illi placere studeamus, et nostro subiectos imperio ad hoc ipsum incitemus.

Decernimus igitur, ut quaecumque Porphyrius propria impulsus vesania contra piam Christianorum religionem conscripsit,, apud quemcumque inventa fuerint, igni iradantur: siquidem omnia scripta, quo divinam iram provocant, et animas laedunt, ea ne ad aures quidem hominum pervenire volumus.

decernimus etiam, ut quicumque impiam Nestorii opinionem aemulantur, vel nefariam eiusdem doctrinam sectantur, siquidem episcopi, aut clerici fuerint, ex sacris ecclesiis expellantur; sin vero laici anathematizentur, prout iam quoque a sacra maiestate nostra lege cautum est. Omnibus praeterea orthodoxis volentibus, qui piam hanc nostram admonitionem sequuntur, potestatem facimus, ut huiusmodi homines citra ullum metum, ullumve damnum publice divulgent atque redarguant.

Quoniam veto ad pias ac sacras nostras aures pervenit, a nonnullis doctrinas quasdam conscriptas et editas fuisse ambiguas, et non plane et aperte consentientes cum orthodoxa fide exposita a synodo sanctorum patrum Nicaeae et Ephesi congregatorum, et a pia memoria Cyrillo magnae

Alexandrinorum urbis quondam episcopo: mandamus ut huiusmodi scripta, sive antehac, sive hoc quoque tempore composita fuerint, comburantur, ac prorsus aboleantur, ut nullo modo cuiquam ad legendum suppetere possint: illis qui eiusmodi scripta aut libros apud se habere ac legere ausi fuerint, extremum supplicium formidantibus. In posterum vero nemini licere volumus, praeter fidem, ut diximus, Nicaeae et Ephesi expositam, quidquam dicere vel docere. Qui vero sacrum hoc nostrum decretum violaverint, non dubitent eamdem se poenam incursuros, quae in lege contra impiam Nestorii fidem lata continetur.

Ut autem omnes experimento discant, quantopere maiestas nostra impiae Nestorii fidei zelatores detestetur, statuimus ut Irenaeus, qui hac de causa nostram indignationem olim incurrit, et postea, nescio quomodo, post secundas nuptias; sicuti accepimus, contra apostolicos canones Tyrionum urbis episcopus creatus est, a sancta quidem Tyrionum ecclesia expellatur, privatus autem in patrio tantum solo degat, habitu et nomine sacerdotis prorsus executus.

Magnificentia itaque tua nostrae pietatis propositum sequens curet haec observari, et ad finem perduci

448 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.446

Mansi 1758f, v.5 (431-441) cols.419-420.

Edictum propositum a praefectis cum sacra pragmatica, adversus Porphyrium, et Nestorium, et Irenaeum.

Piissimus imperator noster cum probe noverit, orthodoxam religionem esse, qua leges et respublicae ipsae consistunt, suo edicto omne semen impietatis abstulit; eos quidem qui ea laborant, moderata castigatione sanans; viam vero bene vivendi omnibus indicans.

Qualia ergo adversus libros Porphyrii, quos ille contra sanctam Christianorum religionem composuerat, nec non contra illos, qui nefariam Nestorii doctrinam conscripserunt, decrevit; et quod nullum de religione dogma vim ullam habere debeat, nisi quod reverendissimis piissimisque episcopis, qui quondam in civitate Nicaea, et postea in Ephesina cum venerandae memoriae Cyrillo convenerunt, probatum est:

praeterea de depositione Irenaei, qui fuit Tyrionum civitatis episcopus; ex superiori sanctione Graeco sermone declarata omnes cognoscetis, ut nemo harum rerum ignorantem praetextat.

Decet proinde omnes summa cum diligentia haec observare, atque indignationem regis literis insertam ante oculos habere.

Lecta sunt haec in ecclesia monachorum in desertis degentium, die XXIII. Parmuthi, indictione prima, anno Diocletiani CLXIV. <18.Apr.448>

448 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.447; Price & Gaddis v.2 p.276-277

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.209-210.

Commonitorium (pro causa Ibae Edesseni episcopi) Damascio spectabili tribuno et notario praetorianorum.

Scientes admirationis tuae propositum, et cognoscentes quantum habeas studium, ut te ipsum deo, et nostrae pietati commendes: visum nobis est ut tu pergas cum Uranio reverendissimo episcopo Himerorum civitatis ad partes orientales, et cooperantibus per singula loca iudicibus, inducas reverendissimum Ibam Edessenae civitatis episcopum, et Danielelem reverendissimum (Carrhenorem civitatis episcopum, et Ioannem reverendissimum) Theodosiopolitanum episcopum, in Phoenicum provinciam properare, et ibi inquiri quae moventur a reverendissimis praedictarum civitatum clericis, tam apud praedictum religiosissimum Uranium, et Photium reverendissimum episcopum Tyri metropolis, quam Eustathium reverendissimum Berytiorum civitatis episcopum, adversus supra moratos religiosissimos episcopos.

Festina igitur secundum ea quae nostrae divinitati visa sunt, pergere ad partes orientales, et inducere praefatos reverendissimos episcopos in Phoeniciam advenire, et ibi omnia capita quae moventur a venerabilibus clericis Edessenae (et Carrhensis et Theodosiopolitanae) civitatis,

inquiri subtiliter apud memoratos religiosissimos episcopos, et quae ab iis fuerint definita, effectui mancipare.

Datum Constantinopoli, sexto Kalendas Novembris. <26.Oct.448>

448 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.448

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.731-734; Hänel 1857, no.1201 (excerpt).

Sancta synodus dixit:

Relege quae a piissimo et religiosissimo nostro imperatore praecepta sunt, fili.

Et legit mirificentissimus magnus silentarius ita:

Nos autem pacem cogitamus sanctarum ecclesiarum et catholicae fidei, et custodiri volumus rectam et deo inspirante praedicatam fidem a sanctis patribus nostris qui in Nicaea congregati sunt, trecentis decem et octo, et ab his Ephesi interfuerunt damnationi Nestorii.

Hoc ergo volumus, ne scandalum in praedicta catholica fide immittatur.

Et quoniam scimus magnificentissimum patricium Florentium esse fidelem et testimoniis probatum in recta fide, volumus ipsum interesse audientiae synodali, quoniam sermo de fide est.

Adhuc cum haec legerentur, sancta synodus dixit:

Multos annos imperatori. [*..etc..*]

449 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton ; Price & Gaddis v.1 pp.132-134

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.587-590; Hänel 1857, no.1202 p.250.

Imperatores Caesares Theodosius et Valentinianus, victores ac triumphatores, maximi, semper venerabiles Augusti, Dioscoro <*episcopo Alexandriae*>.

Cunctis constitit manifestum, quia nostrae reipublicae status et omnia humana, divina pietate moderantur, atque firmantur. Deo enim propitio constituto, prospere et secundum vota nostra gubernari res et proficere solent. Imperium ergo divino nutu sortiti subditis pro pietate et mansuetudine similiter necessario plurimam sollicitudinem impartimur, quatenus et vera religio et nostra respublica cultu dei purissimo et pietate firmata praefulgeat.

Quoniam igitur in praesenti subita emergente dubitatione, ad catholicae, et apostolicae doctrinae ac nostrae fidei custodiam, quae, ut fit, diversis sententiis impugnata, conturbat et confundit hominum sensus et animas; intolerabile duximus, huiusmodi delictum contemnere, ne per talem negligentiam ipsi a deo inferri contumelias videremur. Ideoque sanximus in unum sanctissimos et deo placitos convenire viros, quibus pro pietate catholica atque vera fide plurimis sermo est, ut universa quidem talis est vana dubitatio, subtili proposito inquisitione solvatur, vera autem et deo amica catholica fides catholica firmetur.

Igitur et tua sanctitas, sumptis secum decem reverentissimis metropolitibus episcopis, qui sub tua degunt dioecesi, et aliis similiter decem sanctis episcopis sermone et vita ornatis, qui in doctrina et scientia recte et immaculate fidei apud cunctos eminent, proximos Kalendis Augusti Ephesum metropolim Asiae convenire absque ulla dilatione festinet, nullo scilicet alio praeter praedictos viros sanctam synodum molestante: quatenus universis sanctissimis et beatissimis episcopis, quos convenire per sacras nostras epistolas sanximus ad praedictam concurrentibus civitatem et subtilissime investigantibus et quaerentibus omnis de medio error contrarius auferatur, catholica autem doctrina et orthodoxae fidei salvatoris nostri Christi amicissima solidetur et consuete effulgeat, quod universi in posterum inconcussum, deo propitio, et intemeratum custodiant.

Si quis vero tam necessariam et deo amicam synodum praetermiserit et non omni virtute secundum praedictum tempus ad praefinitum locum pervenerit, nullam excusationem neque apud deum neque apud nostram veniet pietatem. Sacerdotalem enim conventum non nisi quis mala propria conscientia sauciatus evitat. Theodoretum sane episcopum Cyri civitatis, quem pridem iussimus suae soli vacare ecclesiae, sancimus non prius ad sanctam synodum convenire, nisi universo sancto placuerit convenienti concilio et ipsum concurrere et pariter interesse. Si vero aliqua discordia de eo emerit absque illo sanctam synodum convenire, et quae iussa sunt, ordinare praecipimus.

Datum tertio Kalendas Aprilis Constantinopoli Zenone et Postumiano viris clarissimis consulibus. <30.Mar.449>

The beginning of another version in Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.613-614:

Joannes presbyter et primicerius notariorum recitavit Theodosii et Valentiniani imperatorum epistola ad Dioscorum Alexandrinum episcopum.

Imperatores, Caesares, Theodosius et Valentinianus, victores ac triumphatores, maximi, semper venerabiles, Augusti, Dioscoro.

Omnibus constat manifestum, quia nostrae reipublicae dispositio, et universa humana per pietatem circa deum continentur, [...]

449 Theodosius (2) - Valentinianus (3) *Coleman-Norton no.450; Price & Gaddis v.1 p.137*

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.593-594; Hänel 1857, no.1204 p.253.

Sacrae litterae, Barsumae reverendissimo archimandritae destinatae.

Nostram pietatem latere non potuit, in quali sint certamine constituti per orientem religiosissimi et sanctissimi archimandritae, pro fide laborantes catholica, et quosdam episcopos in civitatibus orientis constitutos, Nestoriana haereseos participes aversantes, collaborante etiam orthodoxo populo eisdem religiosissimis archimandritis.

Quoniam igitur et tua sanctitas pro catholica fide tantum laborem sustinuit, ut ad nostram perveniret pietatem, iustum esse duximus, tuam sanctitatem puritate vitae et catholica fide probabilem, ad Ephesinam pergere civitatem, et locum tenentem omnium religiosissimorum archimandritarum orientalium, considerare sanctae synodo, quae ibidem disposita est convenire, et cum aliis sanctis patribus et episcopis, quae sunt domino placita, ordinare.

Datum pridie Idus Maii in Alexandrianis. <14.May 449>

449 Theodosius (2) - Valentinianus (3) *Coleman-Norton no.451; Price & Gaddis v.1 pp.136-137*

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.593-594; Hänel 1857, no.1204 p.252-253.

Sacrae litterae scriptae venerandissimo episcopo Alexandriae Dioscoro.

Pervenit ad nostrae serenitatis auditum, quia multi reverendissimi orientales archimandritae simul cum catholicis populis adversus quosdam episcopos, qui Nestoriana impietate aegrotare dicuntur, in quibusdam orientalium civitatibus constituti, laborarent, et pro catholica fide contenderent.

Hac ergo de causa nostrae serenitati complacuit, religiosissimum presbyterum et archimandritam Barsumam, puritate vitae et catholica fide probatissimum, adesse Ephesinae civitati, et tenentem locum cunctorum orientalium archimandritarum, considerare tam tuae sanctitati, quam universis sanctissimis patribus ibidem convenientibus; quatenus deo placita de omnibus sententia proferatur.

Dignetur proinde tua religio, pervidens quia omnis nobis est pro catholica fide sollicitudo, affectuose et prae dictum reverendissimum archimandritam suscipere, et operam dare, vestrae eum sanctae synodi participem fieri.

Data Idibus Maii, Theralli, Protogene viro clarissimo consule et qui fuerit nuntiatu. <15.May.449>

449 Theodosius (2) - Valentinianus (3) *Coleman-Norton no.453; Price & Gaddis v.1 pp.137-138*

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.595-596; Hänel 1857, no.1204 p.253

Beronicianus (= *Veronicianus*) *devotissimus secretarius sacri consistorii ex eodem codice recitavit sacrum commonitorium datum Elpidio viro spectabili comiti sacri consistorii.*

Sanctae quidem synodi pridem apud Ephesum factae, Nestorii impii contra deum blasphemia extitit causa: et ideo a sanctis patribus qui ibidem convenerunt, dignam suscepit sententiam.

Quoniam igitur et nunc altera iterum contra divinam fidem excitata est dubitatio, secundum hanc Ephesi fieri synodum sanximus, mali radicem omnino excidere festinantes; quo undique

conturbationem dogmatis eiicientes, mundam orationis iustitiam cordibus reservemus, et sit hoc reipublicae munimen, et humanitatis utilitas

Ideo igitur tam tuam claritatem, quam Eulogium virum spectabilem, tribunum et notarium praetorianum, ad ministerium elegimus fidei, sicut probatos, tam in aliis rebus rectissimos, quam circa dei cultum opinatissimos, et valentes nostris diligenter iussionibus ministrare de his quae in Epheso a sancta synodo fuerint constituta, et nullum fieri tumultum permittere: sed et si quem videritis conturbationibus et tumultui studentem ad laesionem sanctae fidei hunc custodias mancipare, et ad nostram perferre notitiam; et causam quidem ordine provenire, interesse autem iudicio, et operam dare, celerem et circumspectam probationem a sancta synodo fieri, et nobis cognitam facere; his qui pridem Eutychetis religiosissimi archimandritae iudices extiterunt, praesentibus quidem et tacentibus, nullum tamen iudicantium habentibus locum, sed communem aliorum omnium sanctorum patrum sententiam expectantibus: quoniam ea quae dudum ab ipsis iudicata sunt, nunc retractantur. Non licere autem ullum aliud movere ex pecuniariis capitulis, antequam ea quae de fide sunt catholica, effectui mancipentur.

Ideo namque et civile per litteras, quas ad virum spectabilem proconsulem, ac reliquos scripsimus, et militare vobis auxilium delegavimus; quatenus et vos super proprium studium his fulti auxiliis, sufficere possitis ad ea quae praecepimus adimplenda quae tanto aliis omnibus bonis meliora sunt, quanto solent humanis divina praecellere: et quae in hac causa fuerint constituta, ad nostram perferre notitiam.

Eodem tenore, Eulogio etiam viro spectabili, tribuno et notario scriptum est.

449 Theodosius (2) - Valentinianus (3) *Coleman-Norton no.454; Price & Gaddis v.1 pp.138-139*
Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.597-598; Hänel 1857, no.1204 p.253-254.

Beronicianus vir devotus a secretis sacri consistorii, ex ipso codice recitavit similiter sacras litteras directas Proclo viro spectabili Asiae.

Imperatoris epistola ad Proclum proconsulem Asiae.

Sanctae quidem synodi pridem apud Ephesum factae, Nestorii impii contra deum blasphemia extitit causa: et ideo a sanctis patribus ibidem convenientibus dignam suscepit sententiam.

Quoniam igitur nunc et altera iterum contra divinam fidem, excitata est dubitatio, secundam hanc in Epheso fieri synodum sanximus, mali radicem omnino excidere cupientes, quo undique conturbationes dogmatis eiicientes, mundam orationis iustitiam in cordibus reservemus, et sit hoc reipublicae munimen, et humanitatis utilitas.

Ideo igitur et Elpidium virum spectabilem, comitem sacri nostri consistorii, et Eulogium virum spectabilem, tribunum et notarium, ad hanc causam elegimus, sicut dignos hoc administrare negotium, et idoneos multorum testimonio comprobatos: quibus volumus necessarium a te conferri praesidium, per quos omnis ab his quae aguntur, conturbatio repellatur, et ex nostrae serenitatis iussione nullos tumultus fieri permittatur.

A quibus si fuerimus edocti, nostrae a te mansuetudinis praecepta neglecta, et non in omnibus, quibus voluerint, obsecutum, tuam laesionem ex tua negligentia fieri decernemus.

449 Theodosius (2) - Valentinianus (3) *Coleman-Norton no.455; Price & Gaddis v.1 p.139*
Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.597-600.

Imperator<is> epistola ad synodum Ephesinam secundam.

Sanctissimae synodo Ephesinae.

Vellemus quidem absque ulla conturbatione sanctas ecclesias dei persistere, et vos sanctis imminentes ecclesiis, consuete ea quae ad divinitatis placationem pertinent celebrare, et non tantum vobis laborem et afflictionem fieri.

Sed quoniam beatissimus episcopus Flavianus aliqua de sancta fide movere voluit adversus reverendissimum archimandritam Eutychem, et concilium congregans, aliqua coepit agere: nos quidem saepius dirigentes ad eundem beatissimum episcopum, volumus, quae mota est,

conturbationem compescere, persuasi sufficere nobis traditam a sanctis patribus in Nicaena synodo catholicam fidem; quam et sancta synodus quae in Epheso facta est, confirmavit.

Sed quoniam saepius a nobis rogatus idem beatissimus episcopus desistere a tali quaestione, ne conturbatio universitati fieret, minime acquievit: cogitantes non esse tutum, absque vestra sancta synodo, et ubique sanctarum ecclesiarum praesulibus huiusmodi quaestionem de fide renovari, necessariam duximus vestram convenire sanctitatem, quatenus vos, quae hic acta sunt, cognoscentes, et quaestionem motam, et omnem diabolicam stirpem possitis evellere, et eos qui impii Nestorii blasphemiam sectantur, aut retinent, a sanctis ecclesiis repellere, catholicam vero fidem firmissimam et inconcussam custodiri disponere: quoniam nostra omnis spes, et nostri imperii firmitas ex catholica fide et vestris sanctis orationibus pendet.

Idem devotissimus Beronicianus a secretis sacri consistorii ex eodem codice recitavit. [*<Jun.449>*]

449 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.457

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.619-620.

Elpidius venerandus comes *<consistorii>* dixit *<sanctae synodo>*:

Neque malorum princeps daemon aliquando negliget adversus sanctas ecclesias praelia concitare, et piissimus imperator semper ei non iuste pugnanti restitit, recte cogitans quia habebit deum propugnatorem sui imperii, si ad certamen et ipse pro pietate armetur: et in nullo se reprehendit, sic sentiens. Desursum namque omnia ei magis quam armis bene gesta sunt.

Ideoque et adversus Nestorii arrogantiam protulit unam vobiscum communem sententiam, quoniam ad dei servitium ordinatus, impii dogmatis extitit pater et doctor, quasi pro daemonibus sacerdotium, et non magis pro divina pietate suscepit. Sed ille quidem condecienti sibi loco interim condemnatus, ad inexcusabilem poenam in futura vita servatur, quia ad tam maximam impietatem tam ipse effusus est, quam etiam plures secum fallendo pertraxit.

Eam vero, quae nunc orta est dubitatio, piissimus imperator ad vos, sicut ad patres et iudices, perducit, a vobis desiderans invenire propositae quaestionis solutionem, communem tam sibi, quam suis subditis credens fore tutelam.

Qualia autem sunt quae piissimus imperator et nobis mandavit, et vobis dignatus est scribere, illico faciam manifesta, tantum ante dicturus, quantum unus ex his constitutus, qui sub vobis pietate recte imbuti sunt.

Hodie cunctorum dominus et deus verbum salvator vobis se ad iudicandum tradit, et patitur iudicantes, et honorat potestate decernendi; ut inveniens vos de iusta iudicantes, et hic honorificet, et coram patre rursus confiteatur. Si vero aliquos repererit de suis cordibus sinceritatem pietatis eiicientes, et ea quae creduntur, arte verborum in dubium perducentes, praeferat expositionem sanctorum patrum, vae illis ab utraque sententia, (et dei et imperatoris). Bonum erat illis, sicut ait scriptura, si non fuissent nati, quia post latronem, et publicanum, et meretricem, et Chananaeam, sincere non confitentur eum, cum est in gloria dei, qui propter nos se sponte humiliavit. Recenseam etiam quae et nobis commissa sunt a sacratissimo et piissimo nostro imperatore. *<see above "sacrum commonitorium datum Elpidio">*

449 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.458; Price & Gaddis v.1 p.140

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.599-600.

Imperatoris epistola ad Dioscorum Alexandrinum.

Dioscoro reverendissimo episcopo Alexandriae.

Antehac quidem Theodoretum episcopum Cyri civitatis praecepimus in sanctam synodum minime convenire, donec de eo, quae placuerint, synodus sancta constituat; aversati eum, quia assumpsit proferre contraria his quae conscripsit de fide sanctae memoriae Cyrillus Alexandrinae quondam civitatis episcopus. Quoniam vero suspicamur, aliquos sectatores Nestorii assumere studium et conferre, ut omnimodo intersit sancto concilio: hac de causa necessarium duximus his

sacris literis uti ad tuam reverentiam, per quas manifestum facimus tuae beatitudini, et universae sanctae synodo, quod nos regulas sanctorum patrum sequentes, non solum propter Theodoretum, sed etiam alios omnes qui ad congregatam sanctam synodum pertinent, auctoritatem et primatum tuae praebemus beatitudini; scientes diligentius, quod et reverendissimus archiepiscopus Hierosolymorum Iuvenalis, et beatissimus archiepiscopus Thalassius, et omnis talis fervens amator et aemulator orthodoxae fidei, consentanei erunt tuae sanctitati, radianti per dei gratiam honestate vitae et catholica fide.

Eos namque qui aliquid per additamentum aliquod, aut imminutionem conati sunt dicere, praeter quae sunt exposita de fide catholica a sanctis patribus qui in Nicaea, et postmodum qui in Epheso congregati sunt, nullam omnino fiduciam in sancta synodo habere patimur: sed et sub vestro iudicio esse volumus, quia hac de re et nunc sanctam synodum disposuimus convenire.

449-450 Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Coleman-Norton no.459

Mansi 1758f, v.9 (536-590) cols.250-251.

Lex Theodosii et Valentiniani pie recordantis imperatorum, adversus Nestorium et Theodorum, et eos qui similia eis sapiunt.

Iam prius quidem Nestorius, qui Constantinopolitanae civitatis fuit episcopus, nova et monstrosa dogmata pertentans introducere sincerae et orthodoxae fidei Christianorum, eiectus est a sancta synodo quae per sanctionem imperialem ex omni orbe terrarum Ephesi congregata est: quae eadem sancta synodus simul etiam confirmavit expositam a Nicaenis trecentis decem et octo episcopis orthodoxam fidem. Et nos corroborantes ea quae pie decreta sunt ad eodem sancto concilio Ephesi congregato, generalem constitutionem protulimus, condemnantem eundem Nestorium, eosque qui similia illi sapiunt, ut non mereantur nominationem Christianorum, sed magis vocentur Simoniani, quoniam Simonis blasphemiam dilexerunt: et statuimus certas adversus eos poenas, quae praesenti constitutione continentur. Sed nec habeat aliquis, aut legat, aut scribat, aut proferat Nestorium, seu illius libros, vel codices omnino nocibiles, vel ipsius Nestorii, vel alterius, et maxime Nestorii adversus solos Christianos conscripta, aut Diodori, et Theodori, et Theodoreti conscripta: sed unusquisque habens tales codices, illos publice proferat, et in conspectu omnium igni tradat. Et nemo eos qui talem sectam colunt, vel illorum doctores, aut in civitate, aut in agro, aut in suburbano, suscipiat, aut una cum eis convenit. Quod si quicumque tale aliquid perpertraverit, publicatus perpetuo tradetur exilio: qui autem habet codices continentes abdicatam fidem Nestorii et Theodori, vel illorum interpretationes, et allocutiones, et traditiones, eisdem subiiciantur suppliciiis, licet lumen aliorum videantur, quae ab illis composita sunt.

Et sancti vero Theophilus Alexandrinus, et Gregorius Nissenus, susceptis querimoniis adversus Theodorum adhuc viventem, et adversus impia eius conscripta, scripserunt adversus eum epistolas, quarum pars est.

Another version in Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.495-498.

Olim quidem prius Nestorius, qui fuit Constantinopolitanus episcopus, nova et pestifera, praeter illa quae tradita sunt, tentans inducere, dogmatum Christianorum purae et orthodoxae fidei contraria, a sancta synodo est eiectus, quae Ephesi ex universo orbe principali sanctione convenit. [...]

Quicumque hoc egerit, vel qualislibet extiterit, vel quisquis codices habuerit, interdictam fidem Nestorii ac Theodoreti continentes, aut interpretationes eorum, vel qui vocantur sermones allocutorii, sive traditiones, iisdem tormentis subiaceat, vel si ea quae sunt ab illis composita, alterius nomine fuerint praenotata.

450 ?Feb. Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.49-52; Migne 1844f, v.54, cols.857-859 (Leo Magnus, Epistola 55).

Valentiniani imperatoris ad Theodosium Augustum.

Domino meo Theodosio, gloriosissimo, victori et triumphatori, perpetuo imperatori et patri, Valentinianus gloriosus, victor ac triumphator semper Augustus et filius.

Cum advenissem in urbem Romam ad divinitatem placandam, sequenti die ad basilicam apostoli Petri processi, et illic post venerabilem noctem diei apostoli, et a Romano episcopo, et ab aliis cum eo ex diversis provinciis congregatis rogatus sum scribere vestrae mansuetudini de fide, quae cum sit conservatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata: quam nos a nostris maioribus traditam, debemus cum omni competenti devotione defendere, et dignitatem propriae venerationis beato apostolo Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare: quatenus beatissimus Romanae civitatis episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide et sacerdotibus iudicare, domine sacratissime pater, et venerabilis imperator. Haec enim gratia secundum solemnitatem conciliorum et Constantinopolitanus episcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem quae orta est de fide. Huic itaque postulanti et coniuranti salutem nostram communem annuere non negavi, quatenus ad tuam mansuetudinem meam petitionem ingererem, ut praedictus sacerdos congregatis ex omni orbe etiam reliquis sacerdotibus intra Italiam, omni praeiudicio submoto, a principio omnem causam quae vertitur, sollicita probatione cognoscens, sententiam ferat, quam fides et ratio verae divinitatis expostulat. Non debet enim nostris temporibus contra religionem barbarum petulantia praevalere, dum incommota fides hactenus fuerit conservata. Ad perfectionem vero agnitionem vestrae divinitatis direximus etiam gesta per quae et desideria et exclamationes omnium pietas vestra cognoscat.

450 ?Apr. Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.51-54; Migne 1844f, v.54, cols.859-862 (Leo Magnus, Epistola 56).

Gallae Placidiae Augustae ad Theodosium.

Domino victori Theodosio et triumphatori, semper Augusto filio, Galla Placidia piissima et florens, perpetua Augusta et mater.

Dum in ipso ingressu civitatis antiquae hanc curam habuissemus ut cultum beatissimo Petro apostolo redderemus, in ipso adorando altari martyris reverendissimus Leo episcopus, paululum se post orationem retinens, propter catholicam fidem apud nos deflevit, ipsum similiter summum apostolorum, quem nuper adieramus, testem obiciens episcoporum multitudine circumseptus, quos ex innumerabiles civitatibus Italiae pro principatu proprii loci seu dignitate collegit; et verbis permiscens lacrymas, ad communionem sui fletus nostros quoque gemitus provocavit. Non enim modicum detrimentum est ex his quae gesta sunt, ut fides, quae tantis temporibus regulariter custodita est a sacratissimo patre nostro Constantino, qui primus imperio splenduit Christianus, nuper turbata sit ad arbitrium unius hominis, qui in synodo Ephesinae civitatis odium et contentiones potius exercuisse narratur, militum praesentia et metu appetens Constantinopolitanae civitatis episcopum Flavianum, eo quod libellum ad apostolicam sedem miserit, et ad omnes episcopos harum partium, per eos qui directi fuerant in concilio a reverendissimo episcopo Romae, qui secundum definitiones Nicaeni concilii consueti sunt interesse, domine sacratissime fili, venerabilis imperator. Hac itaque gratia, tua mansuetudo tantis turbis resistens, veritatem fidei catholicae religionis immaculatam servari praecipiat: ut secundum formam et definitionem apostolicae sedis, quam etiam nos tamquam praecellentem similiter veneramus, in statu sacerdotii illaeso manente per omnia Flaviano, ad concilii et apostolicae sedis iudicium transmittatur, in qua primus ille, qui coelestes claves dignus fuit accipere, principatum episcopatus ordinavit; quando scilicet decet nos huic maximae civitati, quae domina omnium est terrarum, in omnibus reverentiam conservare. Diligentius autem etiam in hoc providete, ne quod priscis temporibus nostra generatio custodivit, sub nos imminui videatur, et per praesens exemplum schismata generentur inter episcopos et sanctas ecclesias.

450 ?Apr. Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.53-56; Migne 1844f, v.54, cols.861-864 (Leo Magnus, Epistola 57).

Licinia Eudoxiae Augustae ad eundem Theodosium.

Domino Theodosio inclyto, semper Augusto, et patri, Licinia Eudoxia piissima et perpetua Augusta filia.

Omnibus notum est tuam mansuetudinem, curam atque sollicitudinem habere Christianorum et catholicae fidei, in tantum ut iuberitis ad iniuriam eius nihil omnino faciendum. Cum igitur feliciter Romae fuisset ingressa, et in liminibus basilicae sanctissimi apostoli Petri venisset, Leo beatissimus Romae civitatis episcopus, etiam cum aliis plurimis episcopis postulationem nobis obtulit, dicens omne dogma religionis per Orientem fuisse turbatum, et accidisse, quatenus tota Christianorum fides ad confusionem omnem perduceretur, Nam Flavianum Constantinopolitanae ecclesiae episcopum propter inimicitias Alexandrini episcopi ingemiscebat expulsum: et hoc cum aliis episcopis postulavit, protestans et ipsorum venerabilium locorum cultum, et mansuetudinis nostrae salutem, quatenus ad tuam clementiam ex hac causa meas litteras destinarem, domine sanctissime pater, et adorabilis imperator. Salutans igitur iusta posco, quatenus his litteris curam vestra tranquillitas praebere dignetur, et quae male gesta sunt emendari praecipiat, donec omnibus quae iam definita sunt revocatis, ex integro causa fidei et Christianae religionis, quae mota est, in partibus Italiae congregato concilio, perquiratur. Scriptum est enim his omnem contentionem motam, quatenus Flavianus episcopus ex humanis rebus potuisset auferri.

450 ?Apr. Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.55-58; Migne 1844f, v.54, cols.863-866 (Leo Magnus, Epistola 58).

Gallae Placidiae ad Pulcheriam Augustam.

Galla Placidia piissima semper Augusta, Aeliae Pulcheriae piissimae semper Augustae filiae.

Ut Romam frequentibus concursibus adaeque desideremus inspicere, causa nobis est amplectendae religionis, ut terminis sanctorum nostram exhiberemus praesentiam, quos certum est pro sua virtute in coelestibus constitutos, neque inferiora despiciere. Nos itaque sacrilegum esse credimus, si solemnum ordinem denegemus. Cum igitur beato apostolo Petro nostram praesentiam dedissemus, illic multitudine sacerdotum reverendissimus Leo papa circumdatus, pro dignitate sui loci nos primus adiit: qui propter interpositam gemitus sui tristitiam, desiderium suum verbis pene insinuare non poterat. Vicit tamen constantia sapientiae sacerdotis, ut lacrymas paululum retineret, et causam violatae fidei, tamquam huius vindex, manifesto sermone proferret. In quo sermone cognovimus nostris temporibus catholicam fidem esse turbatam, quam a divo patre nostro Constantino nostri generis parentes hactenus servaverunt. Secundum voluntatem namque cuiusdam, pravum aliquid adversus sacerdotem Constantinopolitanum excitatum dicitur. Nos itaque in Ephesino concilio, in quo nullus ordinem sacerdotum custodivit, neque mensuram sine consideratione divinitatis omnia esse gesta cognovimus, quatenus praesumptio et iniustitia in quorundam damnationem vim obtinere dicatur, quae nostris temporibus terribilia esse videntur. Debet itaque fides proprie valere, sanctissima atque venerabilis filia Augusta. Igitur tua clementia secundum catholicam fidem, quod semper nobiscum fecit, et nunc similiter conspirare dignetur, ut quidquid illo tumultuoso miserrimoque concilio constitutum est, omni virtutis submoveatur, et omnibus integris permanentibus, ad apostolicae sedis, in qua primus apostolorum beatus Petrus, qui etiam claves regnorum coelestium suscipiens, sacerdotii principatum tenuit, episcopatus causa mittatur. Debemus enim primatum in omnibus immortalis conversationi tribuere, quae totum mundum propriae virtutis dominatione complevit, et nostro imperio orbem gubernandum servandumque commisit.

450 ?Apr. Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.67-68; Migne 1844f, v.54, cols.875-878 (Leo Magnus, Epistola 62).

Theodosii imperatoris ad Valentinianum Augustum. <response to Epistola 55>

Domino meo Valentiniano Augusto Theodosius.

Et Romae pervenisse tuam mansuetudinem, et petitionem oblatam a Leone reverendissimo patriarcha, in ipso litterarum textu a tua maiestate significatum est. Et de tua quidem incolumi in Romana urbe reversione gratias competentes divinae maiestati reddimus, domine sanctissime fili et venerabilis imperator. De his autem quae dixit memoratus reverendissimus vir indicatum est ad eundem latius atque plenius, sicut arbitrari sumus, et cognovit nos in nulla parte a paterna religione et maiorum traditione resiliisse. Nihil enim aliud volumus quam sacramenta paterna per successionem nobis tradita inviolabiliter custodiri. Propter hanc igitur causam, quoniam quosdam cognovimus sanctissimas ecclesias nocibili novitate turbare, synodum decrevimus Ephesi fieri. In praesentia quippe reverendissimorum episcoporum, cum multa libertate ac integra veritate et indigni sacerdotio remoti sunt, et qui iudicati sunt esse digni suscepti sunt. Nihil igitur ab his contrarium regulae fidei aut iustitiae factum esse cognovimus. Omnis igitur contentio sacro iudicio examinata est. Flavianus autem, qui reus inventus est laesibilis novitatis, debitum recepit. Et hoc remoto omnis pax et omnis concordia regnat in ecclesiis, et nihil aliud quam veritas viget.

450 ?Apr. Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.69-70; Migne 1844f, v.54, cols.877-878 (Leo Magnus, Epistola 63).

Eiusdem Theodosii ad Gallam Placidiam Augustam. <response to Epistola 56>

Dominae meae Placidiae venerabili Augustae Theodosius.

Ex litteris tuae mansuetudinis nostra cognovit aeternitas quid reverendissimus patriarcha Leo a tuae aeternitate poposcerit. His itaque litteris indicamus quoniam de his quae dicta sunt a reverendissimo episcopo plenius atque apertius saepius scriptum est: ex quibus sine dubitatione manifestum est nihil nos praeter paternam fidem, aut dogmata divina, vel definitiones reverendissimorum, qui tam sub divae memoriae Constantino in Nicaea civitate, quam dudum nostro praecepto in Epheso congregati sunt, definisse, aut decrevisse, aut intellexisse; sed hoc solum in Epheso constitui iussimus, ut omnes qui nocibili laesione ecclesias sanctas turbaverunt, digne removerentur. Haec sunt quae non ad refragationem, sed ad concordiam et purum vinculum adorandae religionis a reverendissimis patribus sunt decreta. Flavianus autem, princeps contentionis huius, sacra sententia ab ecclesiasticis rebus expulsus est. Haec igitur sciens tua mansuetudo, domina sacratissima mater et venerabilis Augusta, nihil nos aliquando contrarium a tradita fide sentire, sicut a quibusdam dicitur, suspicemini aut cogitetis.

450 ?Apr. Theodosius (2) - Valentinianus (3)

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.69-72; Migne 1844f, v.54, cols.877-880 (Leo Magnus, Epistola 64).

Eiusdem Theodosii ad Liciniam Eudoxiam. <response to Leo Magnus, Epistola 57>

Dominae meae Eudoxiae venerabili Augustae Theodosius.

Semper equidem tui desiderii litteris delectamur, et has tota animae suavitate complectimur, et omnibus tuis petitionibus consuevimus gratanter annuere, domina, sacratissimae filia, venerabilis Augusta; sed de praesentia causa, hoc est de Flaviano qui fuit episcopus, quae in hac causa subsecuta sint, reverendissimo archiepiscopo Leoni perfecte nostra mansuetudo significavit. Tuae vero dulcedini hoc solum approbavimus intimandum, quia memoratus Flavianus sacro iudicio ab humanis rebus ablatus est, quatenus totius dubietatis contentio a sacris removeretur ecclesiis; et nihil ulterius post haec definiri possibile est, cum iam ista semel decisa sint.

450 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.461; Price & Gaddis v.1 pp.92-93

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.93-94; Migne 1844f, v.54, cols.899-900 (Leo Magnus, Epistola 73).

Victores Valentinianus et Marcianus gloriosi triumphatores, semper Augusti, Leoni reverendissimo archiepiscopo gloriosae civitatis Romae.

Ad hoc maximum imperium venimus dei providentia et electione senatus excellentissimi cunctaeque militiae. Unde pro reverenda et catholica religione fidei Christianorum, cuius auxilii virtutem nostrae potentiae confidimus gubernari, tuam sanctitatem principatum in Episcopatu, divinae fidei possidentem, sacris litteris in principio iustum credimus alloquendam: invitantes atque rogantes ut pro firmitate et statu nostri imperii aeternam Divinitatem tua sanctitas deprecetur, ut et tale propositum atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato per celebrandam synodum, te auctore, maxima pax circa omnes episcopos fidei catholicae fiat, ab omni scelere pura et intemerata consistens.
Actum Constantinopoli consulatu VII domni Valentiniani Augusti PP., et Avieni. v.c.

450 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.462; Price & Gaddis v.1 p.93

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.97-100; Migne 1844f, v.54, cols.903-906 (Leo Magnus, Epistola 76); Hänel 1857, no.1203 p.250.

Leoni reverendissimo episcopo ecclesiae gloriosissimae civitatis Romae, Marcianus.
De studio et oratione nostra sanctitas tua non dubitat, quoniam veram Christianorum religionem et apostolicam fidem firmam volumus permanere et ab omni populo pia mente servari. Denique securitatem nostrae potentiae ex recta religione et propitiatione salvatoris nostri consistere non ambigimus. Quapropter reverendissimos viros quos ad nostram pietatem sanctitas tua direxit libenter et sicut decebat animo grato suscepimus.

Superest ut si placuerit tuae beatitudini in has partes advenire et synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur: nostris utique desideriis vestra sanctitas satisfaciet, et sacrae religioni quae utilia sunt decernet. Si vero hoc onerosum est ut tu ad has partes advenias, hoc ipsum nobis propriis tua sanctitas litteris manifestet, quatenus in omnem Orientem et in ipsam Thraciam et Illyricum sacrae nostrae litterae dirigantur, ut quendam definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes sanctissimi episcopi debeant convenire, et quae Christianorum religioni atque catholicae fidei prosint, sicut sanctitas tua secundum ecclesiasticas regulas definivit, sua dispositione declarent. [...]. <22.Nov.450>

450 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.463; Price & Gaddis v.1 pp.93-94

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.99-104; Migne 1844f, v.54, cols.905-908 (Leo Magnus, Epistola 77).

Leoni reverendissimo episcopo ecclesiae gloriosae civitatis Romae, Pulcheria venerabilissima Augusta.

Litteras tuae beatitudinis cum decenti omni episcopo veneratione suscepimus; per quas tuam fidem puram et talem cognovimus, qualis debet cum sanctitate sacro praeberi templo. Ego vero similiter ac meus dominus tranquillissimus imperator, meus coniux, in eadem semper et mansimus et manemus, omnem pravitatem atque pollutionem et maleficium declinantes.

Sanctissimus igitur gloriosae Constantonopolis episcopus Anatolius in eadem fide permansit atque religione, et tuarum litterarum apostolicam confessionem complectitur, illo errore sublato qui ab aliquibus nunc ortus est, sicut ex eius quoque litteris clarius tua sanctitas agnoscere poterit; et epistolae namque similiter catholicae fidei, quam ad sanctae memoriae Flavianum episcopum tua beatitudo direxit sine aliqua dilatione subscripsit.

Et propterea tua reverentia quocumque modo perspexerit, significare dignetur; ut omnes etiam Orientis episcopi, Thraciae atque Illyrici, sicut etiam nostro domino piissimo imperatori meo coniugi placuit, in unam civitatem velociter ab orientalibus partibus valeant convenire; et illic facto concilio, et de catholica confessione, et de his episcopis qui ante hoc segregati sunt, sicut fides et Christiana pietas exigit, te auctore decernant.

Super haec autem sciat tua sanctitas, quoniam praecepto nostri domini et tranquillissimi principis mei coniugis in gloriosa civitate Constantinopoli sanctae memoriae episcopi Flaviani corpus allatum est, et in basilica Apostolorum, in qua consueverunt praecessores episcopi sepeliri, competenter est positum.

Et hos similiter episcopos, qui propter eandem causam, quoniam cum sanctissimo Flaviano ad concordiam fidei catholicae concurrerant, exsilio deportati sunt, reverti, robore pragmatici sui praecepit; quatenus per approbationem synodi, atque sententiam omnium episcoporum convenientium, episcopatum et ecclesias proprias recipere decernantur.

451 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.464; Price & Gaddis v.1 pp.98-99

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.553-554); Migne 1844f, v.56, cols.527-528, also v.63, cols.373-374; Hänel 1857, no.1204 p.251

Victores Valentinianus et Marcianus, inclyti, triumphatores, semper Augusti, Anatolio <episcopo Constantinopolitano>.

Omnibus negotiis divinae res praeponendae sunt. deo enim omnipotente propitio, rempublicam et conservandam, et meliorandam esse confidimus.

Quia igitur dubitationes quaedam in orthodoxa religione nostra videntur esse commissae, sicut etiam epistolae viri reverendissimi episcopi almae urbis Romae Leonis testantur, id specialiter clementiae nostrae placuit, ut synodus in Nicaena civitate provinciae Bithyniae celebretur; quatenus convenientibus animis, et omni veritate discussa, cessantibus etiam studiis, quibus ante hac usi quidam, sacrosanctam orthodoxam religionem conturbasse noscuntur, vera fides nostra cuncto saeculo manifestius innotescat, ut deinceps nulla possit esse dubitatio vel discordia.

Qua de re, sanctitas tua cum quibus placuerit reverendissimis episcopis, quos de ecclesiis sub sui sacerdotii cura constitutis idoneos et instructos orthodoxae religionis esse probaverit ad praedictam civitatem intra diem Kalendarum Septemvrium ire deproperet.

Sciat autem religio tua, etiam serenitatem nostram venerabili synodo interfuturam, nisi forte publicae necessitates in expeditionibus nos detinuerint. Divinitas te servet per multos annos, sancte ac venerabilis pater.

Data decimo Kalendarum Iunii, Constantinopoli, consulatu domini Marciani perpetui Augusti primo, et qui fuerit nuntiatus. <23.May.451>

(Similarities with the letter, below: **514 dec.28 <Anastasius> Hormisdas papae: Omnibus negotiis divinae res praeponendae sunt; deo etenim omnipotente propitio rem publicam et conservandam et meliorandam esse confidimus. quia igitur dubitationes quaedam de orthodoxa religione in Scythiae partibus videntur esse commotae, id specialiter clementiae nostrae placuit, ut venerabilis synodus in Heracleotana civitate provinciae Europae celebretur, quatenus concordantibus animis et omni veritate discussa vera fides nostra orbi terrarum omni manifestius innotescat, ut deinceps nulla possit esse dubitatio vel discordia. quapropter sanctitas tua cum quibus sibi placuerit reverentissimis episcopis, quos de ecclesiis sub sui sacerdotii cura constitutis idoneos et instructos erga orthodoxam religionem esse probaverit, ad praedictam Heracleotanam civitatem intra diem Kalendarum Iuliarum venire dignetur.** Data V. Kal. Ian. Constantinopoli. Senatore v.c. cons. <28.dec.514> [...])

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.551-554.

Victores Valentinianus et Marcianus, inclyti, triumphatores, semper Augusti, ad omnes ubique reverendissimos episcopos.

Omnia ad veram fidem, et Christianam orthodoxam religionem tendentia, praeponenda aliis rebus existimamus. Deo enim propitio existente, et nostrum imperium et communes causas meliores fore confidimus.

Quia igitur dubitationes quaedam circa orthodoxam fidem motae sunt, sicut indicant et literae sanctissimi archiepiscopi felicissimae Romae Leonis, placuit nobis proprie sanctum concilium fieri in Nicaea Bithyniae civitate, quatenus cunctis concordantibus, veritate examinata, et vacante omnium studio, quo quidam iam abusi, religionem turbaverunt orthodoxam, vera ac saluberrima fides sic omni mundo manifestetur ut de cetero omnibus quaestio et dubitatio auferatur. Unde tua sanctitas, cum quantis probaverit reverendissimis episcopis sub suo sacerdotio constitutis sanctarum ecclesiarum, expertas habentibus divinas scripturas, et id scientia et doctrina orthodoxae et verae fidei prae cunctis eminentibus ad memoratam Nicaenam civitatem proximis Kalendis Septembris advenire festinet. (Quisquis enim generalem et omni mundo utilem futuram

synodum refutaverit, peccet equidem et circa divinitatem ipsam, et pietatem nostram offendat). Agnoscat autem et tua sanctitas, quia nostra pietas aderit in ipso concilio, nisi quaedam publicae et inevitabiles curae nos in expeditione fecerint occupari.

451 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.467; Price & Gaddis v.1 p.107

Mansi 1758f, v.6 (441-451) col.553-554

Sacrae literae missae ad synodum in Nicaea a Valentiniano et Marciano imperatoribus.

Studii nostri est, congruenter decerni ea quae sanctae et orthodoxae religionis existunt, quatenus omnis ambiguitas perimatur, et decens pax sanctissimis et catholicis reddatur ecclesiis. Hoc enim omnibus rebus praeponendum existimavimus. Quia igitur volumus interesse sanctos concilio, retinent vero nos publicae et necessariae utilitates in expeditione; dignetur vestra religio non arbitrari grave, nostrae tranquillitatis absentiam sustinere; sed orare, quatenus ea quae inter manus habemus, deo auxiliante bene disponentes, illuc venire possimus: ut nostra pietate praesente decernantur, quae omnem discordiam quaestionemque submoveant, et confirment veram et venerandam orthodoxorum fidem. <Sep.451>

451 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.466; Price & Gaddis v.1 pp.107-108

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.555-556.

Exemplum sacrarum literarum, quae a piissima et Christianissima Augusta, Pulcheria missae sunt ad consularem Bityniae Strategium, ut curam haberet circa disciplinam synodi, antequam placuisset de Nicaea ad Chalchedonem mutari concilium.

Intentio nostrae tranquillitatis est, ante civiles causas, sanctas Christi ecclesias, eisque dicatos, in pace consistere, et orthodoxam fidem, quam continere iudicamus nostrum imperium, imperturbatam et immotam ab omni hominum genere custodiri. Unde dudum parva quadam emergente discordia, multam curam habuimus, ut undique multitudo sanctorum episcoporum simul congregaretur in Nicaea: quatenus universorum concordia, omnis turba de medio tolleretur, et in futuro firma et immobilis fides venerabilis praevaleret. Quia ergo secundum nostram sanctionem reverendissimi quidem episcopi universi convenerunt, expectantes potestatis nostrae praesentiam, quae non post multum deo cooperante aderit; quidam autem, sicut agnovimus, cum sint soliti turbare et confundere deo placitam disciplinam, supervenientes in Nicaea clerici ac monachi atque laici, tumultus facere tentant, contententes absque his, quae nobis placuerunt: necessario has pias literas ad tuam direximus claritatem, quatenus cum omni virtute eos, si praeter nostram evocationem, aut permissionem suorum episcoporum ibidem commorantur, clericos, sive intra hunc ordinem constitutos, sive alicui eorum a propriis episcopis sunt remoti, vel monachos atque laicos, quos nulla ratio ad concilium vocat, omnimodo debeas de civitate et ipsis locis expellere: ut cum omni disciplina consistente sancta synodo sine aliqua commotione atque contentione, quae a domino Christo revelata fuerint communiter ab omnibus confirmentur. Scito enim, quia si quis de cetero inventus fuerit tumultuosus ibidem commorari, aut ante praesentiam nostrae tranquillitatis, aut certe post praesentiam, non fortuitum sibi imminere periculum.

451 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.468; Price & Gaddis v.1 p.108-109

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.557-558; Hänel 1857, no.1024 pp.251-252.

Exemplum sacrae epistolae secundae missae ad eandem sanctam synodum quae Nicaeae convenerat ut Chalcedonem se transferat.

Victores Valentinianus et Marcianus, gloriosi, et triumphatores, semper Augusti, deo amabili synodo.

Cum festinarem ad sanctam synodum venire, retinuit nos causa publicarum et nimis necessariorum rerum.

Cognovimus autem ex his quae a vestra sanctitate scripta sunt, quoniam plurimi vestrum tam corporis infirmitate, quam aliis diversis causis laborant.

Unde licet plurimarum publicarum causarum nobis sit hic remorandi necessitas, tamen praeponendam omnibus curam sanctae et orthodoxae fidei iudicamus. Nam et religiosissimi episcopi et presbyteri, qui vice sanctissimi ac deo dilectissimi Leonis archiepiscopi felicissimae urbis Romae venerunt, a nostra tranquillitate petierunt, quatenus omnimodo nos adesse debeamus sancto concilio; affirmantes quoniam non paterentur illuc, absente nostra pietate venire.

Secundum petitionem vero vestrae sanctitatis, nos ipsi valde quaerentes velociter sanctissimum vestrum concilium celebrari, festinamus ad vos quantocumque advenire. Unde si placet vestrae pietati, ad Chalcedonensium civitatem transire dignemini. Illic enim excurreremus, licet hic nos publicae causae retineant: quoniam ea, quae expediunt veritati et orthodoxae fidei, atque paci et disciplinae sanctarum et catholicarum ecclesiarum, omnibus praeponenda esse censemus: nec dubitamus hoc etiam vestrae sanctitati placitum: ne etiam angustia civitatis amplius vos faciat laborare, et absente nostra tranquillitate sanctum concilium longius protrahatur.

Orare autem dignemini pro nostro imperio, quatenus et hostes subditi nobis efficiantur et pax in universo orbe firmetur, et Romanae res in securitate degeant: quod etiam nunc vos facere credimus.

Deus vos custodiat per multos annos, sanctissimi. <Sep. 451>

451 Valentinianus (3) - Marcianus *Coleman-Norton no.469; Price & Gaddis v.1 p.109-110*

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.559-562; Hänel 1857, no.1204 p.252

Exemplum similiter imperialium literarum, quae tertio Nicaeam missae sunt ad sanctum concilium, dum adhuc piissimus imperator in Thracia resideret, ut sine dilatione Chalcedonem migrare debeat.

Imperatores Caesares Valentinianus et Marcianus, victores, triumphatores, maximi, semper Augusti, sanctae synodo quae apud Nicaeam dei voluntate et nostro decreto est congregata.

Dudum quidem et per alias divinas nostras literas indicavimus vestrae religioni, quatenus in Chalcedonensium civitatem veniretis, ut ea quae de sancta et orthodoxa fide a sanctis patribus nostris sunt definita confirmaretis, ne ulterius orthodoxorum multitudo diversis modis errando seduceretur, sed ut omnes dominum nostrum et salvatorem Christum, sicut decet, et sicut sanctissimi patres nostri decreverunt, confiteantur. Nos enim propter ferventissimum fidei zelum, publicarum rerum necessarias utilitates in praesenti distulimus, multum desiderantes, ea quae orthodoxae et verae sunt fidei; tranquillitatis nostrae praesentia confirmari. Nam ea quae in Illyrici partibus contigerunt, etiam ad vestras aures pervenisse credimus: quae licet dei voluntate congruam sortita sint ultionem, tamen, publicarum rerum utilitas exigebat ad Illyricum nostrae tranquillitatis profectionem. Sed quoniam, sicut praedictum est, nihil orthodoxae fidei, ut haec roboretur, praeponendum esse iudicamus, propterea hac quidem expeditione interim supersedemus.

Et nunc specialiter vestram venerationem per has nostras sacras literas adhortamur, quatenus sine ulla dilatione accedatis ad Chalcedonensium civitatem.

Quoniam autem Attico archidiacono regiae civitatis sanctissimae catholicae ecclesiae referente nostrae tranquillitati, cognovimus vestram sanctitatem formidare, ne forte Eutychetis sectatores, aut alter aliquis seditiones aut tumultus aliquos facere moliantur; eapropter significavimus vobis, ut praeditiam causam nullatenus formidantes, adveniatis in Chalcedonensium civitatem. Speramus enim in dei clementia, quia absque aliqua perturbatione et tumultu, omnibus secundum orthodoxam et veram fidem iuste et deo placite constitutis, unusquisque vestrum ad propria quantocumque revertetur.

Festinate itaque advenire, et nullam dilationem negotio facere, ne per vestram moram, dilationem habeat inventio veritatis. Nobis enim studium est, divinitate propitia, prosperum finem accipiente causa, velociter iterum ad et expeditionem felicissimam remeare.

Deus vos custodiat per multos annos, sanctissimi et dei amantissimi patres.

Datum decimo Kalendas Octobris, Heracleae. <22.Sep.451>

451 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.471; Price & Gaddis v.2 p.199

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.103-106

Beronicianus devotissimus secretarius sacri consistorii [...] rediens, ista sanctae synodo interlocutus est. Praecepit divinissimus et piissimus dominus noster <Marcianus> imperator, vel sicut placuit magnificentissimis et gloriosissimis iudicibus, sex reverendissimos episcopos ab orientali regione, et tres ex Pontica, et tres ab Asiana, et tres a Thracensi, et tres ab Illyrico, praesentibus etiam sanctissimo archiepiscopo Anatolio, et reverendissimis Romanis, et convenientibus in oratorio sanctissimae martyris, de fide recte et irreprehensibiliter constituatur; quibus omnes consentiant, et nihil dubium relinquatur: vel si vobis hoc non placet, singuli fidem suam per suum metropolitam manifestam constituent, ut nulla similiter dubietas, aut discordia relinquatur. Si autem neque hoc vestra velit sanctitas, cognoscite quia in partibus occidentalibus habet fieri synodus, eo quod religiositas vestra hic noluit de vera et orthodoxa fide indubitanter definire.

Reverendissimi episcopi clamaverunt:

Multi anni imperatori. <22.Oct.451>

451 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.472; Price & Gaddis v.2 pp.215f

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.129-130 + 169-178.

Allocutio Marciani imperatoris.

Ubi primum divino iudicio ad imperium sumus electi, inter tantas necessitates reipublicae nulla nos magis causa constrinxit, quam ut orthodoxa et vera fides Christiana, quae sancta atque pura est, indubitata omnium animis insideret. Constat autem, avaritia vel pravis studiis quorundam, per media tempora nonnullis diversa sentientibus, et pro voluntate sua, non prout veritas atque doctrina patrum postulat, populos seducentibus, in errorem quamplurimos esse deductos. Qua de re sanctam synodum hoc videlicet proposito fieri studuimus, et vobis laborem indixisse videmur, quatenus omni errore atque caligine detersa, prout le divinitas hominibus manifestare voluit, et doctrina patrum ostendit, religio nostra, quae pura atque sancta est, universorum mentibus insinuata, suae virtutis luce fulgescat: nec in posterum quisquam audeat de nativitate domini et salvatoris nostri Iesu Christi aliter disputare, quam apostolica praedicatio, et instituta trecentorum decem et octo sanctorum patrum eidem convenientia, posteritati tradidisse noscuntur; sicut etiam sancti Leonis papae urbis Romae, qui sedem apostolicam gubernat, missa ad sanctae memoriae Flavianum Constantinopolitanae urbis episcopum scripta testantur. Remotis itaque studiis, ablatis patrociniis, cessante avaritia, cunctis veritas innotescat. Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi principis Constantini, synodo interesse volumus, ne vel ulterius populi pravis suasionibus separentur. Facile enim simplicitas quorundam hactenus nonnullorum ingeniis atque superflua verbositate decepta est, et constat, diversorum pravis insinuationibus dissensiones et haereses natas Studium autem nostrum est, ut omnis populus per veram et sanctam doctrinam unum sentiens, in eandem religionem redeat, a veram fidem catholicam colat, quam secundum institutiones patrum exponere concordantibus aequae animis religio vestra festinet: quatenus sicut a Nicaena synodo usque ad proximum tempus, erroribus amputatis, vera fides cunctis innotuit; ita et nunc per hanc sanctam synodum remotis caliginibus, quae in his paucis annis, sicut superius dictum est, pravitate atque avaritia quorundam emersisse videntur, perpetuo, quae statuta fuerint, conserventur. Erit autem divinae maiestatis, id quod sancto animo fieri desideramus, in aeternum firmiter custodire.

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.131-134

Interpretatio Latinae allocutionis.

Divinissimus et piissimus dominus noster Marcianus perpetuus Augustus virtutem praescripta allocutionis et Graece allocutus est ita.

Ubi primum divino iudicio ad imperium sumus electi, ante alias omnes publicas et summe necessarias causas, nihil sic et consilio et studio dignum putavimus, nisi ut circa orthodoxam fidem, quae sancta et vera est, omnes unius essent sententiae, et nihil de ea dubitabile in animabus hominum insideret. Repertum est enim medio tempore quosdam partim pecuniarum cupiditatibus, partim pravis studiis diversa sensisse; et praeter sanctorum patrum fidem, doctrinae expositionem erroribus plenam multitudini edidisse. Huic rei remedium volentes imponere, sanctam vestram collegimus synodum, laboribus, quos ex itinere suscepistis, eventum maximum fore credentes, ut vera religio firmaretur, quatenus omnis interiectus error atque caligo auferretur ab intelligentiis seductorum: et prout ipsa se divinitas hominibus propria voluntate manifestavit, et ut sanctorum patrum doctrina purissimam et verissimam animis omnium praefulgentem exposuit fidem, sic humanum genus coleret, et de reliquo omnis auferatur audentibus praesumptio de nativitate domini et salvatoris nostri Iesu Christi aliter sentiendi aut disputandi, praeter haec quae praedicata quidem sunt a sanctis apostolis, tradita autem nunc consone a trecentis decem et octo sanctis patribus nostris qui Nicaeae convenerunt; sicut etiam deo amicissimi Leonis papae urbis Romae, qui sedem apostolicam gubernat, missa ad sanctas memoriae Flavianum novae regiae Romae episcopum epistola testatur. Amputato igitur omni inconvenienti studio, et eiecto omni patrocinio, et locum nullum habente avaritia, cunctis veritas vestris expositionibus innotescat. Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosi principis Constantini, synodo interesse volumus: ut inventa veritate, non ultra multitudo pravis quorundam doctrinis attracta discordet. Multos enim mentis simplicitate a quibusdam; perterritos, superflua et callida introducere conantibus, haud mirum est fuisse deceptos. Non est enim dubium, quod imperfectis et pravis diversorum expositionibus, tam dissensiones, quam multae exortae sunt haereses. Nostrae autem serenitati operae pretium est, omnes populos unam eandemque circa divinitatem habentes sententiam, veram et catholicam religionem fidemque colere, quam ipsis secundum tradita a sanctis patribus dogmata exponite. Hoc ergo operis sit sanctitatis vestrae, et consentienti animo sicut in Nicaeno sanctissimo patrum concilio manifestata fides, ab errore quidem homines liberavit, ad lucem autem prolata, omnibus cognita est: similiter et nunc per vestrum concilium omnis quidem ambiguitas pravitate cupiditateque quorundam, sicut diximus, in hoc parvo medio tempore nata, amputetur; in perpetuum autem, quae a vobis terminata fuerint, serventur. Erit autem hoc divinae providentiae, ut id quod pio proposito fieri curamus, semper ad utilitatem, quae per vos orta est, firmiter conservetur.

Et post regis haec verba, omnes clamaverunt: Multi anni imperatori, multi anni Augustae: [...]

Divinissimus et piissimus noster imperator ad sanctam synodum dixit:

Dicat sancta synodus, si secundum omnium sanctorum episcoporum expositionem, definitio nunc relecta, prolata est. [...]

Licet laborem vestrae reverentiae, fatigationemque fecerimus, tamen maximas gratias agimus omnium salvatori Christo, quia multorum errantium circa fidem amputata discordia, in unam eandemque religionem omnes nunc una voluntate convenimus, sperantes celerrimam vestris ad divinitatem precibus, et circa omnia pacem nobis a deo donari. [...]

Pia et catholica fide a sancta et universali synodo secundum patrum expositionem declarata, iustum simul et expediens esse nostra tranquillitas approbavit, omnem de cetero contentionis occasionem de sanctae fidei religione penitus amputari. Si quis igitur idiota, vel militaris, seu clericus, publice de fide, turbam congregans, sub obtentu disputationis tumultum fecerit, sciat, quia si quidem idiota sit, ab urbe regia expelletur: militaris vero et clericus gradus sui periculum sustinebunt, et poenis aliis subiacebunt. [...]

Quaedam capitula sunt, quae ad honorem vestrae reverentiae vobis servavimus, decorum esse iudicantes, a vobis haec regulariter potius formari per synodum, quam nostra lege sanciri.

Et iubente divinissimo et piissimo principe nostro, Beronicianus vir devotus, secretarius divini consistorii, capitula sic legit.

I. Eos qui vere et sincere solitariam arripiunt vitam, debito honore dignos iudicamus. Quoniam vero quidam sub praetextu solitariae vitae et ecclesias et communes perturbant causas; placuit nullum quidem aedificare monasterium praeter voluntatem episcopi civitatis, neque in possessione praeter voluntatem domini possessionis. Eos vero monachos, qui per singulas civitates sunt atque provincias, subiici episcopo, et quietem amplecti, et intendere solum ieiunio et orationi, et neque ecclesiasticis, neque publicis importunos rebus existere; nisi forte iubeatur eis propter necessariam causam ab episcopo civitatis. Sed neque potestatem habere monachos suscipiendi in monasteriis suis servos, aut inscriptitios, praeter voluntatem dominorum.

II. Quoniam vero aliqui clericorum et monachorum pecuniae amore languentes, curis mundanarum rerum semetipsos subiiciunt, aut possessionum conductores, aut procuratores constituti, aut in domibus (saecularium) obversantes, tamquam dispensatores effecti: placuit huic sancto et magno concilio, nullum clericum conducere possessiones, aut procuracionem suscipere; nisi, forte ei a proprio episcopo iubeatur ecclesiasticarum possessionum habere sollicitudinem. Si quis autem post hanc definitionem aut ipse conducere praesumpserit, aut per alium quemlibet hanc curam suscipere, ecclesiasticae poenae subdatur: quod si in contentione perstiterit, dignitate privetur.

III. Clericos in ecclesia constitutos non licere alterius civitatis ecclesiae deputari, sed permanere ille, in qua ministrare ab initio deputari sunt: extra illos scilicet, qui amissis propriis provinciis, ex necessitate in alienam ecclesiam transierunt: Si quis vero post hanc definitionem, clericum alteri episcopo competentem susceperit, placuit extra communionem fieri et eum qui susceptus est, et qui suscepit, donec clericus qui abscessit, ad propriam revertatur ecclesiam.
[...]

Et post haec divinissimus et piissimus dominus noster ad sanctam synodum dixit:

Ad honorem sanctae martyris Euphemiae, et vestrae pariter sanctitatis, Chalcedonensium civitatem, in qua sanctae fidei concilium gestum est, metropolis privilegia habere sancimus, nomine, tantum hanc honorantes, salva videlicet Nicomediensium civitati propria dignitate. [...]
Multum quidem estis itinere fatigati, laborem perferentes. Verumtamen sustinete adhuc tres aut quatuor dies, praesentibus magnificentissimis nostris iudicibus, quaecumque vultis, movete, competens adepturi solatium. Nullus vestrum antequam perfecti termini ex omnibus proferantur, a sancto concilio discedat.

451 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.473

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.273-274.

Imperatores Caesares Valentinianus & Marcianus, victores et triumphatores (maximi, semper colendi Augusti) sancto concilio, quod sacro nostro decreto Chalcedone collectum est.

Bassianus reverendissimus multa incongrua passus, contenta in precibus eius, quae in his nostris divinis literis subditae sunt <the attached letter of Bassianus to Valentinianus and Marcianus = Mansi 7 cols.274-275> petit a vestra sanctitate haec discuti. Festinet igitur vestra reverentia, has nostras suscipiense literas, causam discutere, et formam quae vobis visa fuerit, proferre. <29 Oct.451>

451 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.475; Price & Gaddis v.3 pp.136-138

Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.166-168; Migne 1844f, v.54, cols.971-972 (Leo Magnus, Epistola 100).

Victores Valentinianus et Marcianus gloriosi, triumphatores Augusti, sanctissimo et vere venerabili patri archiepiscopo Leoni.

Divinae humanaeque litterae consentiunt divinitatem in primis esse adorandam, ibique omnipotentem deum esse propitium, ubi colitur recte fides. Hoc igitur quod quaerebamus invenimus et assecuti sumus nostris precibus. Invenit enim religionis fidem fidelis affectus, et nullum dubium est dei auxilio esse definitum, quod de ipsius potentia quaerebatur. Expulsa enim omni contentione et discordia, quam invidus daemon fidei iniecerat, deum omnes una mente cognoscunt. Caeterum non accusamus infideles, quia et gratiam habemus religionis inimicis: praestiterunt enim nobis ut deum studiosissime quaereremus manifesteque cognosceremus. Maius enim lumen esse videtur post tenebras apparens: dulcis est sitientibus potus, fessis otium. Laetetur igitur sanctita tua super victoria fidei, cuius corona omnipotenti Christo referenda; hic enim dedit contra infideles victoriam. Et ideo nos ipsi adesse sanctae synodo festinavimus, quamquam nos in aliis locis et expeditiones et publicae necessitates detinerent.

Ergo omnia secundum vota sanctitatis tuae, quae fidei consonant, definita sunt, totius orbis, qui sub nostro imperio est, piissimis episcopis Chalcedone convocatis, et deliberatione habita, post multas contentiones vera fides obtinuit, et iuxta litteras sanctitatis tuae omnes assenserunt expositioni, sicut veritas postulavit; nihilque ambigimus huius rei gratiam nobis et sanctitati tuae communem esse, et ex aequo laetari quos palam est aequali studio amare veritatem. Superest ut omnibus iuxta catholicam fidem et veritatem compositis, et pace ecclesiis restituta, votis omnium in perniciem hostium sanctitas tua divinam provocet potentiam: quod te et ante nostras litteras facere in confesso est.

Quoniam vero et hoc constitutum est, ut ea quae a centum quinquaginta episcopis sub divae memoriae Maiore Theodosio honoris gratia erga venerabilem Constantinopolitanam ecclesiam statuta sunt, quaeque nunc a sancta synodo de eadem re sunt sancita, firma servantur, videlicet ut post apostolicam sedem Constantinopolitanus statim episcopus secundum habeat locum, quoniam splendidissima urbs iunior Roma appellatur, dignetur sanctitas tua etiam huic parti assensum praebere; licet reverendissimi episcopi, qui loco tuae in deo charitatis ad sanctam synodum convenerunt, contradixerint: vehementissime enim prohibebant de eadem venerabili ecclesia quidquam in synodo decerni. Speramus autem quod consentientibus totius orbis sacerdotibus, quae Romanis rebus utilia sunt, divina providentia praestare dignabitur. Quapropter per Lucianum dei amantissimum episcopum et Basilium diaconum ut omnia vobis significarentur decrevimus, rogamus ut quae a sancta synodo constituta sunt, etiam tua in deum pietas in perpetuum observari praecipiat.

Divina te providentia servet multis temporibus, sanctissime et dei amantissime pater.

Data ante diem decimum quintum kalend. Ianuar. Constantinopoli, consulatu domini nostri Marciani semper Augusti, et eius qui fuerit nuntiatus. <18.Dec.451>

Another version in Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.166-168 and cols.167-170; v.8 (492-536) cols.764-765; Migne 1844f, v.54, cols.970-971 (also Leo Magnus, Epistola 100):

Victores Valentinianus et Marcianus, inclyti triumphatores, semper Augusti, sancto patri merito venerabili Leoni episcopo.

Divina humanaeque scripta consentiunt divinitatem in primis esse veneradam, [...]

Data decimo quinto kalendas Ianuarias, Constantinopoli, D.N. Marciano pp. Aug., et qui fuerit nominatus, consulibus.

452 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.476; Price & Gaddis v.3 pp.128-130

Migne 1844f, v.56, cols.547-549 (Appendix ad S. Leonis Magni opera); Hänel 1857, no.1205 pp.255

Imperatores Valentinianus et Marcianus Augusti universis populis.

Tandem aliquando quod summis studiis atque votis optabamus evenit. Remota est de orthodoxa christianorum lege contentio. Tandem remedia culpabilis erroris inventa sunt; et discors populorum sententia in unum consensum concordiamque convenit. E diversis enim provinciis religiosissimi sacerdotes Chalcedonam venerunt iuxta nostra praecepta, et quid observari in

religione debeat, perspicua definitione docuerunt. Cesset igitur iam profana contentio. Nam vere impius atque sacrilegus est qui post tot sacerdotum sententiam opinioni suae aliquid tractandum relinquit. Extremae quippe dementiae est in medio et perspicuo die commentitium lumen inquirere; quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quaerit.

Nemo itaque vel clericus vel militans, et alterius cuiuslibet conditionis de fide christiana publice turbis coadunatis et audientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus et perfidiae occasionem requirens, nam iniuriam facit iudicio religiosissimae synodi, si quis semel iudicata ac recte disposita revolvere et publice disputare contendit: cum ea quae nunc de christiana fide statuta sunt, iuxta apostolicas expositiones et statuta sanctorum patrum trecentorum decem octo, et centum quinquaginta definita esse noscantur.

Nam in contemptores huius legis poena non deerit, quia non solum contra fidem bene compositam veniunt, sed etiam Iudaeis et paganis ex huiusmodi certamine profanant veneranda mysteria. Igitur si clericus erit qui publice tractare de religione ausus fuerit, a consortio clericorum removebitur; si vero militia praeditus sit, cingulo expoliabitur. Caeteri etiam huius criminis rei de hac sanctissima urbe pellentur, pro vigore iudiciario etiam competentibus suppliciiis subiugandi. Constat enim hinc haereticae insaniae fomitem exordiaque praebere, dum publice quidam disputant atque contendunt.

Universi ergo quae a sancta synodo Chalcedone statuta sunt custodire debebunt, nihil postea dubitaturi. Hoc itaque commoniti nostrae serenitatis edicto, abstinente profanis vocibus, et ulterius desinite de divinis disputare; quod nefas est: quia peccatum hoc non solum divino iudicio, prout credimus punietur, verum etiam legum et iudicum auctoritate coercebitur.

Data VI Kal. Febr. Constantinopoli, Sporatio consule. <27.Jan.452>

<Another version in Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.475-478:

Imperatores Caesares, Flavianus Valentinianus, et Flavius Marcianus, de Christianae fidei rebus edictum civibus nostris Constantinopolitanis.

Tandem aliquando, quod summis votis atque studiis optabamus, evenit. [...]

Constantinopoli VII. Idus Februarii, Sporatio viri clarissimo, et qui fuerit nuntiatus, consulibus. <7.Feb.452>

452 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.477; Price & Gaddis v.3 pp.130-131

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.477-480; Migne 1844f, v.56, cols.549-551; Hänel 1857, no.1205 p.256.

Edictum piissimi et christianissimi imperatoris Marciani, propositum Constantinopoli, de confirmatione gestorum Chalcedonensis synodi, et eorum observatione.

Iidem Augusti <Valentinianus et Marcianus> Palladio praefecto praetorio.

Venerabilem catholicae orthodoxorum fidei sanctitatem manifestam et indubitam universis constituere cupiens nostra serenitas, ut maior erga divinitatis obsequia hominibus religio traderetur, tantam atque talem synodum, ex omnibus pene provinciis coadunatis episcopis, in Chalcedonensi civitate colligi iussit; atque ibi plurimis diebus tractatu habito, quid verum et infucatum Christianae fidei esset, invenit. Votis enim et orationibus plurimis exoravere divinitatem, quatenus sancta et plena veritas eos non lateret. Secutique sunt statuta venerabilium patrum, ea videlicet quae apud Nicaeam trecentorum decem et octo sanctorum episcoporum sententia sunt definita: similiter et quae centum quinquaginta in hac amplissima coadunati urbe constituerunt, atque ea quae apud Ephesum pridem statuta sunt, cum, beatissimae recordationis Caelestinus Romanae urbis, et Cyrillus Alexandrinae civitatis, episcopi, veritatis duces fuerunt. Quo tempore etiam et Nestorianus error exclusus est, eius auctore damnato.

Quibus ita rite et venerabiliter apud Chalcedonem inquisitis, Eutyches qui plura affirmabat illicita, cum sua assertione deiectus est, ne decipiendorum ulterius hominum ei praebetur facultas.

Ordinatis itaque religiose et fideliter quae venerandam orthodoxorum fidem fundasse noscuntur, ita ut nulla in posterum dubitatio, vel illis qui calumniari divinitatem assolent, relinqueretur;

sacro nostrae serenitatis edicto venerandam synodum confirmantes, admonuimus universos, ut de religione disputare desinerent; quoniam unus et alter tanta secreta invenire non posset maxime cum summo labore et a magnis orationibus tot venerabiles sacerdotes, nisi deo, ut credendum est, auctore, ad indaginem veritatis non potuerint pervenire. Verum sicut manifesta ratione cognovimus, non desinunt quidam in eadem perversitatis insania permanere, et publice de religione contendere, populis coadunatis, et mysteria divina sub Iudaeorum paganorumque obtutibus publicare, et profanare quae rectius colenda sunt, quam inquirenda.

Oportuerat itaque in eadem pertinacia persistentes statuta dudum animadversione compesci, ut poena corrigeret, quos reverentia iussionum emendare non potuit. Verum in hoc secuti consuetudinem nostram, noscentes prae omnibus quod divinitas pietate laetetur, poenam nocentium credidimus differendam, iterata hac sancientes nostrae clementiae iussione, ut in futurum a prohibitis omnes absteineant, nec conventicula colligant super religione certantes: quia in huiusmodi perversitate et vanitate detecti, et statutas dudum suscipient poenas, et iudiciario motu, prout religiosis temporibus convenit, punientur. Oportet enim Chalcedonensem synodum sequi, in qua omnibus diligenter quaesitis, ea definita sunt, quae pridem tres praedicti coetus, apostolicam fidem secuti, omnibus observanda tradiderunt.

Datum tertio Idus Martii, Constantinopoli, Sporatio viro clarissimo, et qui fuerit nuntiatus, consulibus <13.Mar.452>

Et eodem exemplo scriptum Palladio viro illustri praetori orientis, Valentiniano viro illustri praetori Illyrici, Tatiano viro illustri praefecto urbis, Vincomalo viro illustri magistro sacrorum officiorum, et consuli designato.

452 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.479; Price & Gaddis v.3 pp.131-133

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.497-500; Hänel 1857, no.1205 pp.256-257.

Excerpt in Cod.Iust.1.3.23 (which begins: Impm.Valentinianus et Marcianus AA. Palladio pp. and ends: D. Constantinopoli pridie nonas Iulias Sporacio cons.)

Valentinianus et Marcianus Augusti, Palladio praefecto praetoriorum orientis, Valentiano praefecto Illyrici, Tatiano praefecto urbis, Vincomalo magistro divinatorum officiorum, et consuli designato.

Gloria nunquam gloriosi morte perimitur, nec pereunt cum morientibus virtutes; imo etiam obitu existimatio augetur proborum hominum, quia omnis adversum mortuos evanescit invidia. Inde tanto studio ac praeconiis maiorum facta laudantur; inde optimorum virorum maxima cum veneratione memoria celebratur; inde magnorum animi exitus appetivere gloriosos; quia compertum est, eos solummodo perpetuo mori, quorum de vita ac morte taceretur. Id ita esse, etiam praesenti tempore divinum ostendit humanumque iudicium.

Cum enim falsa invidia et improbe concinnata calumnia, religiosae ac venerabilis recordationis Flavianus huius almae urbis episcopatu fuisset expulsus (quamvis hoc fuit plenius retinere sacerdotium, fidem quam acceperat, conservare: is enim solus est, qui esse meretur episcopus) tamen ita eius reliquias et expetiit haec sacratissima civitas, et recepit, ut beatior omni vivente videretur: ut exitus ille qui putabatur acerbus, optandus credatur fuisse, quo illam immortalem mercatus est laudem. Secutumque est illud, quod meritis eius divinitas praesitit, ut venerabilis synodus innumerabilium pene sacerdotum Chalcedonem conveniret quae dum fidem diligenter inquit, auctoritate beatissimi Leonis episcopi aeternae urbis Romae, et religionis fundamenta constituit, Flaviano et antea vitae palmam, et mortis tribuit gloriosae.

Ergo quoniam venerabilis recordationis Flavianus tanto ac tali decoratus est testimonio, ut Eutyches qui contra senserat, cum sceleratis dictis suis ab omnibus uno ore damnaretur; aboleatur illa constitutio, quae sceleratorum subreptione post obitum sanctae memoriae adversus eum lata cognoscitur: cessentque in totum ea, quorum initium fuit iniquum, et iniusta sententia nihil obsit Eusebio quoque et Theodoreto religiosis episcopis, qui eadem lege continentur: quoniam non possunt sacerdotes constitutione damnari, quos synodicum ornat de conservata religione decretum.

Expulsa itaque illa sanctione, retineat vitae gloriaeque suae Flavianus, quam meretur, perpetuam laudem, ceteris constantiae erga fidem futurus exemplum.

Illustrissima igitur et magnifica auctoritas tua hanc saluberrimam legem, edictis propositis, ad omnium notitiam faciat pervenire.

Datum Constantinopoli pridie Nonas Iulii, Sporacio viro clarissimo, et qui fuerit nuntiatu, consulibus. <6.Jul.452>

452 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.480; Price & Gaddis v.3 pp.133-136

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.501-506; Hänel 1857, no.1205 pp.257-258.

De confirmandis quae a sancta synodo Chalcedonensi contra Eutychem et eius monachos constituta sunt.

Idem Augusti <Valentinianus et Marcianus Augusti> Palladio praefecto praetorii.

Amplae omnipotenti deo habendae atque agenda sunt gratiae, quod scelera nec latere prorsus, nec durare impunita permittit. Horum enim alterum laedendi habet plurimam facultatem: alterum peccandi ceteris praestat exemplum.

Curae igitur esse divinitati hominum actus, et maxime reverentiam religionis, proxime in confirmanda catholica fide evidenter apparuit, cum Eutychem sceleratorum dogmatum sectatorem nec latere, et ut diu lateret, sivit; nec patefacto scelere, passa est poenam sceleris evitare. Sententiis itaque divinis humanisque damnatus, synodicum decretum, ut merebatur, excepit, reus divinitati, cui faciebat iniuriam; reus hominibus, quos decipere conabatur. Proxime etenim innumerabiles ex toto pene orbe beatissimi episcopi Chalcedone congregati, improba praedicti Eutychem, una cum synodo eius causa habita, expulere commenta, secuti sanctorum definita maiorum, quae vel apud Nicaeam a trecentis decem et octo constituta sunt, vel in hac postea alma urbe a centum quinquaginta sunt episcopis decreta, vel apud Ephesum, cum Nestorii est error exclusus, praesidentibus Caelestino Romanae urbis, et Cyrillo Alexandrinae civitatis episcopis.

Ea igitur quae sunt iuxta pristinam disciplinam a reverenda synodo Chalcedonensi definita, illa fide qua deum colimus, per omnia servanda censuimus, atque censemus: quia valde consequens est (quingentorum viginti) sacerdotum pura mente deum colentium definita, quo pro orthodoxorum fide sacrosancta secundum patrum regulas processerunt, summa cum veneratione servare.

Verum quoniam principalis providentiae est, omne malum inter initia opprimere, et serpentem morbum legum medicina resecare: hac lege decernimus, eos qui Eutychem decipiuntur errore, ad exemplum Apollinaristarum, quos Eutychem secutus est, quosque venerabiles parentum regulae, id est, ecclesiastici canones et principum divorum sacratissima scita condemnant, (nullum episcopum) nullum habere presbyterum, nullos habere vel appellare clericos; ipsumque Eutychem nomine presbyteri (quo et indignus et spoliatus est) in totum carere. Si qui autem contra definita nostra episcopos, presbyteros, ceterosque clericos ausi fuerint creare, tam factos, quam sacientes, vel praesumentes sibi clericorum gradum, bonorum amissione percussos, exilio perpetuo praecipimus contineri. Coeundi, vel colligendi, vel congregandi monachos, aut aedificandi monasteria, iubemus nullam eos habere licentiam; locaque ipsa, in quae forte convenire aliquando tentaverint, confiscari, si tamen domino loci sciente convenerint: quod si ignaro, actorem conductoremque loci fustibus caesum, deportationem subire censemus.

Ipsos praeterea nihil ex testamento cuiusquam capere, nihil eis qui eiusdem erroris sunt, relinquere testamento, ad nullum eos patimur adspirare militiam, nisi forte ad cohortaliam, vel limitaneam.

Si quis autem extra praedictam militiam inventus fuerit militare, vel quia ignorabatur eius in religione perversitas, vel quia post adeptum cingulum ad hunc devenerit errorem: solutus militia, infidelitatis suae fructum hunc habeat, ut optimorum hominum et palatii communione privetur, nec alibi quam in quo natus est vico vel civitate versetur. Quod si qui eorum in hac alma urbe

(quod credi nefas est) geniti sunt, tam hac civitate venerabili, quam sacratissimo comitatu, et omni excludantur metropolitana civitate. Et haec quidem generaliter circa omnes constituimus, qui tali labe polluti sunt, vel polluentur.

Eos autem qui antehac clerici orthodoxae fidei fuere, et monachi qui quondam Eutyichis habitavere diversorium (neque enim monasterium dicendum est, quod religionis habuit inimicos) qui ad hoc usque insaniae processerunt, ut relicto venerabilis religionis cultu, et synodico decreto, quod totius pene orbis Chalcedone coadunati decrevere sacerdotes, infaustam Eutyichetis sequantur assertionem: quia vera luce deserta, tenebras eligendas esse crediderunt, omnibus poenis quae vel hac, vel praecedentibus legibus adversus haereticos definitae sunt, iubemus teneri, imo extra Romanum expelli solum, sicut praecedentes religiosissimae constitutiones de Manichaeis constituere: ne eorum venenatis fraudibus, sceleratisque commentis, innocentum et infirmorum animi decipiantur.

Comperimus praeterea quaedam eos in contumeliam religionis et invidiam venerabilis synodicae definitionis fuisse mentitos, conscriptisque libris et chartarum tomis plura finxisse, quae eorum insaniam adversus veram fidem aperte signarent: itaque ideo praecipimus, ubicumque huiusmodi scripta fuerint, ignibus cremari. Eos vero qui vel scripserint, vel aliis legenda tradiderint docendi studio vel discendi, censensus cum publicatione bonorum deportatione puniri. Docendi etenim hanc infaustam haeresim, sicut pridem edictis serenitatis nostrae continetur, omnibus adimimus facultatem: quia ultimo supplicio coerebitur, qui illicita docere tentaverit. Eos vero qui discendi studio audierint scelerata differentem, decem librarum auri mulcta compescimus.

Ita enim materia subtrahetur erroris, si peccatorum et doctor defuerit et auditor, Palladi parens carissime) illustris itaque et magnifica auctoritas tua, edictis propositis, omnibus faciat nota quae iussimus: cognoscentibus moderatoribus provinciarum, eorumque officiiis, defensoribus etiam civitatum, quod si ea quae pura fide et sancto proposito custodienda censuimus, aut neglexerint, aut, permiserint temerari, singuli denarum librarum auri mulcta perculsi, ut religionis legumque proditores, etiam de existimatione laborabunt.

Datum V. <alt: XV> Kal. Augusti Constantinopoli, Sporatio viro clarissimo, et qui fuerit nuntiatus, consulibus. <28.Jul.452><alt: 18.Jul.452>

Eodem exemplo scripta Valentiniano viro illustri praefecto Illyrici, et Tatiano praefecto urbis et Vincomalo magistro officiorum et consuli designato.

452 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.481; Price & Gaddis v.3 pp.154-155

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.481-484.

Exemplar epistolae scriptae ab imperatore Marciano Alexandrinis monachis, per Ioannem decurionem

In nullo quolibet modo delinquere, proprium est dei omnium, dominique cunctorum: sapientium autem virorum est, quando, cum sint homines, est eis impossibile non peccare, ut dum peccaverint, repente poenitentiam agant, ut poenitendo vitia corrigant. Nam permanere in peccatis, et in eis exerceri, et festinare malo malum accumulare, omnino malignum et valde vesanum est.

Quod aliquos Alexandriam, eique urbi vicina loca habitantes reverendissimos monachos passos esse cognovimus: et credentes non per simplicitatem morum hoc eos pertulisse, divinis literis usi sumus, declarantibus orthodoxam nostram fidem: et quia sancta catholicaque synodus quae Chalcedone facta est, circa apostolicam fidem nihil penitus innovavit; sed per omnia Athanasii, et Theophili, et Cyrilli, reverendae memoriae Alexandrinorum pontificum, secuta doctrinam, damnavit quidem Eutyichis blasphemiam, nihil aliud sapientem, quam Apollinarii impiam doctrinam abscindit autem et impietatem Nestorii et venerabile symbolum trecentorum decem et octo sanctorum patrum qui in Nicaea convenerunt, integrum per omnia custodivit, neque imminutione, neque adiectione vexatum.

Et credit quidem nostrae tranquillitas, sanctas literas nostras nec non et praecepta proposita dudum in Alexandrinorum magna civitate, sufficere ad persuasionem eorum qui nescio quomodo adhuc dubitant, eo quod nihil innovatum sit a sancto catholicoque concilio, et quatenus nullus de cetero dubitaret, huius rei gratia relinquatur. Neque enim quemlibet ita simpliciore esse credimus, ut legens tantas doctrinas, sic clare pronuntiantes fidem orthodoxam, hactenus in ipso errore permaneat. Si vero fortasse sint aliqui (quod non credimus) insitam nobis clementiam non sequentes, volumus iterum eis per has sacratissimas literas nostras certissime satisfieri: quia sanctorum et venerabilium patrum doctrinas sequens sanctissima catholicaque synodus, cuncta disposuit, et Eutychis quidem peremit impietatem: quem Dioscorus est secutus, et alii quidam, qui libros Apollinaris non dubitaverunt plebi dispergere, vocabula sanctorum patrum eis attitulantes quatenus ad plenum simplicium mentes sua falsitate deciperent.

Confirmavit autem trecentorum decem et octo sanctorum patrum in Nicaea convenientium venerabile symbolum, nihil nec auferens, nec adiiciens, secundum quod baptizata nostra tranquillitas ab aetate adolescentia sapit, et ut in eo consistat, exoptat; credens dominum nostrum et salvatorem Christum filium dei unigenitum, coaeternum et consubstantialem Patri, propter nos et propter nostram salutem humanatum, natum ex Spiritu sancto et Maria virgine dei genitrice, et esse deum et hominem vere eundem, non alium et alium (absit hoc) sed unum eundem, nullo modo partitum, aut separatum, aut convertibilem.

Eos autem qui dicunt, aut aliquando duos filios, aut duas personas, etiam nos tamquam dei inimicos abominamur et anathematizamus.

Haec igitur et nunc agnoscentes, si qui forsitan estis adhuc falsitate decepti, ad veritatem recurrere festinate, nefandis vosmetipsos, et canonibus contrariis collectionibus abstinentes, ne super hoc, quod animas vestras perditis, etiam legali castigationi subdamini: unite vero vos omnes sanctissimae et catholicae orthodoxorum ecclesiae, quae una est, sicut et venerabiles definitiones patrum nos docent. Hoc enim agentes, animam quidem vestram saluti donabitis, deo vero cunctorum quae sunt placita facietis, sed et nostrae tranquillitati vos commendantes, eius cura fruimini.

Propterea siquidem et Ioannem videlicet decurionem eligentes misimus, qui certissime valeat ea quae de fide sunt, explanare. Nam et sanctorum episcoporum universali catholicorum concilio interfuit, et universa quae gesta sunt, clare novit: ut per omnia satisfactione suscepta., hi qui (quod non credimus) adhuc dubitant, tandem aliquando ad veram et immaculatam fidem remeare festinent.

453 Valentinianus (3) - Marcianus *Coleman-Norton no.482; Price & Gaddis v.3 pp.150-151*
Mansi 1758f, v.6 (441-451) cols.215-216; Migne 1844f, v.54, cols.1017-1020 (Leo Magnus, Epistola 110).

Epistola piissimi imperatoris Marciani ad Leonem archiepiscopum Romae

Victores Valentinianus et Marcianus gloriosi triumphatores, semper Augusti, sanctissimo et vere venerabili Leoni archiepiscopo.

Beatitudinem tuam valere syllabis nostrae serenitatis studiosissime precamur, postulantes ut favorem omnipotentis dei tuarum nobis impertias precum intercessione: ut misericors et pacifica ipsius magnificentia omnia fausta et optabilia nostro regno concedere dignetur.

Miramur supra modum quod post Chalcedonensem synodum, et litteras venerabilium episcoporum ad tuam sanctitatem missas, quibus omnia in ipsa synodo acta significabant, nullo prorsus pacto a tua clementia eiusmodi epistolae remissae sint, quas videlicet in sanctissimis ecclesiis perlectas, in omnium oportebat notitiam venire. Quod nonnullorum animis qui Eutychetis etiam nunc pravam opinionem et perversitatem sectantur, ambiguitatem multam iniecit, utrum tua beatitudo quae in sancta synodo decreta sunt confirmaverit. Et ob eam rem tua pietas litteras mittere dignabitur, per quas omnibus ecclesiis et populis manifestum fiat in sancta synodo peracta, a tua beatitudine rata haberi. Illud profecto, ut decebat episcopum apostolicae

sedis, excellenter tua sanctitas praestitit, ut ecclesiasticos canones custodiendo, nihil antiqui moris et ordinis olim constituti et ad hanc usque diem inviolabiliter observati passa sit innovari. Propter litteras autem tuae beatitudinis quae et quanta ab aliquibus facta sint, poterit ab aliis tua sanctitas clarissime ediscere, quibus adversari noluimus, <nondum> affirmante tua in deo caritate catholicae fidei et verae orthodoxae Chalcedonensem synodum, omnibus consentientibus episcopis, esse obsecutam.

Quam ob rem tua veneranda dignitas decretum quam celerrime emittat quo confirmare ostendat, ut ii qui exoptant in via diverticula, nullam habere possint suspicionem de iudicio tuae sanctitatis. Data XV Kalendas Martias Constantinopoli. <15.Feb.453>

453 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.483

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.483-487.

Epistola Marciani Augusti pro Iuvenali contra Theodosium, ad Marcianum episcopum et Sinaitas monachos.

Ab illo missus oppugnare sanctam et orthodoxam fidem, nihil se mali facere putavit, si Eutyichis impietatem imitaretur, qui contra piam orthodoxorum religionem insurrexit, aemulans quidem Photinum a veritate alienum, imitator vero esse studens deo repugnantis sententiae Apollinarii, et Valentini, et Nestorii; calumniator aperte ostensus sanctissimi concilii, quod nuper propter fidei ardorem in Chalcedonensium urbe nostro nutu congregatum est, quod trecentorum decem et octo sanctorum patrum symbolum ad constituendam fidem editum confirmavit; nihil, vel addendo, vel minuendo, immutans ab eorumdem sanctorum patrum magisterio: iustum vero censens, ut Eutyches qui veritatem oppugnaret, et fidei fluctuationem afferre cuperet, a nomine orthodoxorum alienus esset.

Cuius improbam ac temerariam praesumptionem Theodosius sequens, in Palaestinorum regionem se confert, circumvenit ac decipit ignaros, alia pro aliis sanctam synodum docuisse fingens. Asseruit enim, quod ipsa sancta synodus duos filios, et duos Christos, et duas personas adorari docuerit, quodque contra symbolum sanctorum patrum fidem interpretata sit. Cumque inde multitudinem hominum deceptorum collegisset, simplicium, ut ita dicam, imperitiam adiutricem nactus, Aeliensium urbem invadit, incendia domorum perpetrans, caedes religiosorum hominum, liberationes eorum qui summis criminibus convicti essent: quibus facinoribus, religionis opinionem aucupans, periculose auctoritatem sibi arrogavit; et perfringens carceres, ut fontibus, quantum in ipso esset, iudicio ereptis, omnibus, ut ita dicam, flagitiorum ac scelerum liberam facultatem praeberet. In ipsam porro sanctionem, et maiestatis nostrae leges peccans, portas urbis clausit, sibi que episcopatus, praeter omnes certe leges, nomen usurpavit, sanctissimo Iuvenale et superstite, et in ipsa urbe degente, divina simul et humana iura violans et conturbans. Hinc ad atrociora progrediens, omnes Palaestinae sanctissimas ecclesias atque urbes in graviora mala incommodaque adducit, caedes designans reverendissimorum episcoporum, in nonnullis vero urbibus quos sibi libuisset ordinans. Insana enim audacia usus, iussit episcopos civitatum iusto pridem suffragio ex divinis regulis creatos, alienos, ut ipsi quidem visus est, a sacerdotio haberi, sedibusque quibus assignati fuerant, expelli. Bello autem sanctissimum episcopum Iuvenalem oppugnat, per immissam undique multitudinem caedem eius moliens. Sic enim autumabat episcopatu se nihil ad ipsum pertinente esse potiturum, conatusque suos tandem processuros. Iuvenalem quidem sanctissimum episcopum et sancta trinitas, et ut res ipsa ostendit, fidei constantia servavit at Severianus pia memoriae episcopus Scythopolis, una cum aliis pro illo nefarie interemptus, vesaniae Theodosii fuit parergon atque additamentum.

Haec et his tetriora ausus Theodosius, postquam allatis ad potestatem nostram eius facinoribus, undecumque ipsius vestigiis inquiri una cum satellitibus suis, scelerumque sociis, est iussus, e Palaestina quam sic affecerat, profugit, rebus ipsis ostendens, ministrum se ac praecursorem antichristi fuisse. Loca porro e locis identidem, mutans, sanctissimas perturbans ecclesias, idque studens, ut qui in fide simpliciores sunt, aliena a veritate sentiant, impieque divinitatem colant: in

montem Sina (ut certiores facti sumus) domicilium religionis, quo sanctis viris aditus est, pervenit; in quo a vobis exorta, cara deo, ac digna quibus nos omnem honorem habeamus, sita sunt monasteria: ubi latitans, meditatur etiam orthodoxiam oppugnare, et occasionem sibi forte sperat. Atque illius quidem nulla iam habenda est ratio; quandoquidem nec designatorum ab eo ipsiusque satellitibus facinorum poenae dignum modum quisquam invenire potest.

Nostra autem potestas, quamvis admodum confidit, perniciosam ac deo repugnantem Theodosii sententiam nullo modo posse commovere vestrae fidei stabilitatem; tamen ne daemonis opus, cuius ille est administer, praeter vestrum nostraeque potestatis propositum, quidquam valere queat, decrevit vestram reverentiam per has sacras literas hortari, ut tam nefarium hominem, alienum ab orthodoxa fide, hostem sanctissimarum ecclesiarum, una cum ipsius adiutoribus undique investigatum tradatis provinciae rectori, ut in maximum gloriosissimi magistri militum orientis, exconsulis et patricii, iudicium adducatur: non ut tot flagitiorum poenam suscipiat, sed ut in posterum certe religiosas et circa numen divinum simplicius affectas animas, ad perniciem loca omnia circumeundo, inescare desinat.

Sciat enim reverentia vestra, nos usque a maioribus orthodoxam fidem colere, ac divinis scripturis edoctos sanctam trinitatem adorare, trecentorum decem et octo almae memoriae patrum symbolum amplecti, id sequi, iuxta id credere: Photini, et Apollinarii, et Valentini, et Nestorii, et Eutyichis, aliorum, quotquot contra symbolum sentire decreverunt, scelus aspernantes, credentes vero dominum nostrum ac salvatorem Iesum Christum et spiritu sancto et Maria virgine deipara natum esse; profitentes unum ac eundem filium Iesum, deum perfectum et hominem perfectum eundem; deum vere et hominem vere eundem; nulloque modo divisum, aut separatum, aut conversum salvatorem Christum iugiter adoramus. In hac fide deum precamur ut stabiliter maneamus, aperte anathematizantes eos qui duos filios dicunt, aut duos Christos, aut duas personas; vel qui dixerunt, aut scripserunt, aut praesumunt dicere.

Quam quidem sanctissimam fidem, quae vera est atque orthodoxa, sanctum concilium firmavit, proxime Chalcedone celebratum, uno ore unoque sensu religionem sanctam et orthodoxam colens; perversamque solius Eutyichis opinionem condemnavit suffragio cum sanctis patribus sentiente.

453 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.484

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.487-496.

Exemplar sacrae epistolae missae a sanctissimo et piissimo domino nostro Marciano perpetuo Augusto ad archimandritas, monachos, et reliquos habitantes in Aelia, et circa eam.

Agnoscens nostra maiestas preces quas ad sacratissimam piissimamque nostrae tranquillitatis coniugem direxistis, rebus ipsis mihi persuasum est, quod non supplicationes miseritis, sed sub obtentu precum, impiam, et dei legibus, Romanaeque reipublicae contrariam existentem vestram demonstraveritis intentionem. Nam cum oportuerit vos quieti vacare, et esse sub sacerdotibus, eorumque doctrinis obedire, doctorum potius ordinem audacia vehementi assumere praesumpsistis, qui neque a recte docentibus doceri patimini, et vobisipsis stulte persuadetis quod cunctos oporteat circa apertae fidei scientiam vos potius sequi, quam sanctorum apostolorum prophetarumque volumina, et a sanctae memoriae patribus mandata contradita. Et quasi minus quam priores delinquere vos putaretis, si falsis doctrinis vestras praesumptiones obumbrare velletis, nihil veritatis in vestris precibus docuistis, asserentes neque incendiorum, neque homicidiorum, neque aliarum incongruarum rerum esse vos auctores, aut monasteria; sed et incolas civitatis, et quosdam peregrinos memoratarum rerum originem extitisse.

Sed nihil horum quae tentata sunt, nostram latuit pietatem; quando et monumentorum gestis, et singulorum relationibus nobis apertum est, quomodo et Aeliensium civitas a vobis velut hostibus capta sit, qui habitare in monasteriis, et eiusmodi locis observare debuistis. Insuper et venerandae memoriae diaconi commissa caedes, et quod illius corpus post necem etiam communi sepultura privatum, insensibiliter tractum subdebatur iniuris. Quomodo etiam domus incensae, et portae

clausae sint civitatis, et quasi legibus propriis civitatis custodiebatis muros, et carcere violenter aperto, malorum praesumptoribus remissio poenarum, et periculosae fugae praebatur occasio. Proficientibus autem ad peiora, postremis minora fuisse praecedentia demonstrantes, Iuvenalem sanctissimum episcopum, et alios reverendissimos sacerdotes per quemdam ad hoc destinatum interficere voluistis. Cum vero is qui missus fuerat, fuisset spe sua deceptus, sine effectu suam vesaniam et eorum a quibus missus fuerat, esse non sinens, Severianum sanctae memoriae episcopum gladio percutiens, neque his qui erant cum eo pepercit.

Haec ergo et his peiora delicta, et quomodo praesumpta, et quibus agentibus, (aut invitantibus) acta sint, manifestant ea quae frequenter in diversis iudiciis proprie demonstrata, et sacratissimis nostris auribus intimata sunt, certissimum indicium vestrae voluntatis habentia, quam prompte ad maxime delinquendum descenderitis, non dei fidem defendere vel fovere volentes, sed vobisipsis praefecturas et sacerdotia, quorum vos ostendistis omnimodis alienos, in perditionem civitatum vindicare studentes.

Nostra siquidem pietas admiratur, qua causa Eutychem quidem anathematizatis, bene in hac parte facientes: Theodosio vero, qui proiectae audaciae est, vos ipsos contradidistis, sapienti ea quae sunt Eutychem, qui Valentini et Apollinaris contra orthodoxam fidem aemulatus insaniam, sanctissimas quidem conturbat ecclesias, civitatibus vero subversionis et importabilis vexationis existit occasio: vobis etiam factus et adeo nefandarum et iniquarum actionum princeps.

Et impietatis quidem suae ac delictorum omnium poenas dignissimas dabit omnium domino et salvatori Christo, quorum excitastis originem. Non enim patietur divina potestas sine supplicio pertransire ea quae in eius fidem blaspheme, et in sanctas ecclesias, et in sanctos viros miserande peremptos, nefande commissa sunt.

Nostra vero tranquillitas nihil tale fieri contra monachos imperavit, sed ut tantummodo Aeliensium sedaretur civitas, quatenus de cetero quies ab omnibus servaretur. Vestra vero procacitas mandatis contraria monachorum agens, bellum adversus communem quietem assumpsit: et multitudinem congregans latronum, et aliorum inique agere solitorum, armaque contra legitime viventes commovens, causa caedis et devastationis, aliarumque crudelium rerum, provinciae habitatoribus fuit: ita ut mota maiestas nostra indignaretur rerum talium commissoriis, sed per insitam clementiam superata, caedis et incendiorum auctores poenas luere iuberet: licet etiam adversus vos iustum esset ut nostra indignatio progrediretur, qui relictis monasteriis, in quibus vos perpetuo residere vestra professio iubet, ea ausi estis, quae ultimo supplicio digna sunt. Nam etiam docere potius quam discere praesumitis, divina nescientes eloquia aperto praecipientia, quia non est discipulus super magistrum suum; nec servus super dominum suum. Quas doctrinas salvatoris animarum nostrarum, aut sanctissimorum apostolorum et patrum, secuti estis? Non enim proprias sequentes impietates, dicere audebitis, quod ad caedes aliaque delicta quae vos egistis, sanctorum documenta progrediantur. Sed quia duas naturas audientes, perturbatas vestras animas fuisse docuistis, veluti quadam novitate auribus vestris illata; scitote, quia vobis quidem harum rerum examinationem facere non congruit, qui subtilitatem huius rei intelligere nequitis.

Nos autem patrum suscipientes doctrinas, naturam intelligimus veritatem. Hoc enim est quod sapimus, simul et dicimus; quia dominus noster Iesus Christus, deus vere et homo vere est idem. sicut et sanctissimus apostolus Paulus, naturam ipsam veritatem intelligens, in epistola ad Galatas clare docet, ita dicens: Sed tunc quidem nescientes deum, servistis eis qui natura non sunt dii: <Hieronymus, *Commentarii in IV epistulas Paulinas, Ad Galatas, liber II*> hoc est, ignorantes vere deum, qui vere non sunt dii: ex his palam significans, quia natura veritas est. Sed dicitis, quia de naturis in fidei symbolo nihil continetur a trecentis decem et octo sanctis patribus exposito. Neque enim ulla de hac re tunc quaestio mota erat, neque nunc aliqua novitas adversus eam fidem excogitata est; sed sanctorum patrum qui in orthodoxa fide claruerunt, firmata est tradito.

Vos autem qui dicitis, Non oportet naturarum rationes exquiri, hoc ipsum facere compertum est, aperte in supplicationibus a vobis directis naturarum memoriam facientes, atque dicentes: Quomodo parit virgo, et manet virgo? Et quomodo generat per naturam eum qui super naturam

est? Verbum enim caro factum est. Quomodo autem factum est? quomodo separari potest? Factum vero est, non natura mutatum, neque divinitate conversum. Videte igitur quomodo naturam ubique commemoratis, qui propter ipsum nomen naturae turbamini, et undique vobisipsis calumniandi ea quae a sancta synodo pro fide vere firmata sunt, occasionem exquiritis, etiam in eo peccantes, quod mentientes asseritis, prorsus definitum esse dici debere duos filios, et duos Christos; quod ita non est. Nos enim hoc abdicantes, anathematizamus eos qui hoc scripserunt, aut dixerunt, aut dicere forte praesumunt. Nostra namque tranquillitas symbolum trecentorum decem et octo patrum et iam pridem secuta est, et ei in posterum tempus assentit, credens dominum nostrum et salvatorem Iesum Christum ex Spiritu sancto et Maria virgine dei genitrice natum. Orthodoxam namque fidem, sicut accepimus, servare in perpetuum festinamus, quemadmodum etiam sancta synodus nuper in Chalcedonensium civitate celebrata, credens docet, symbolum confirmans et consona sapiens ipsis sanctis patribus, Ephesinoque concilio, cuius Caelestinus et Cyrillus reverendae memoriae praesules fuerunt, errorem Nestorii condemnantes.

Ac nostra clementia nulli penitus necessitatem praecepit imponi, quatenus aut subscriberet, aut consentiret invitus. Non enim terrore aut violentia aliquos volumus ad viam trahere veritatis. Vos autem e contrario praeter ea quae dudum ausi estis, gladiis, aliisque crudelitibus, insuper et iniuriis et tormentis in mulieres honestas et nobiles perpetratis, necessitatem plurimis non dubitastis inferre, ut consentirent vestris perversis doctrinis, et clamoribus atque subscriptionibus anathematizarent eandem sanctam synodum, et sanctissimum patriarcham sedis apostolicae maximae Romae Leonem, et alios sanctissimos patres: pro quibus ausibus necessarie reddituri estis deo omnium domino rationem, in cuius iniuriam, si dici fas est, talia facere praesumpsistis, iure opprobrium et irrisio scelestis paganis et haereticis effecti, quibus estis exemplum confusionis redditi.

Quia vero et Samaritas accusastis, tamquam ipsi adversus sanctas ecclesias crudelia et nefanda commiserint, et caedes, et alia simul incongrua perpetrarint: cognoscite quia sancivimus, ut inquisitione subtilissima subsecuta per virum spectabilem comitem Dorotheum, ea quidem quae directa sunt, sanctis dei ecclesiis, et eis qui perdiderunt, restituantur; illi autem qui harum rerum inveniuntur auctores, legitimae ultioni subiaceant, cum horum criminum ultio nihil ad vos pertineat; quos oportet, agnoscentes quomodo credat nostra potentia, et a nostra pietate pariter invitatos, a sancta et orthodoxa fide nullatenus deviare, sed sedere potius in monasteriis, et orationibus ad deum fuis vacare, et consona vestrae professioni semper efficere, nullasque turbas omnino miscere; neque his quae ad perditionem animarum a pravis doctoribus proferuntur, incaute consentientes, neque propter eorum impios coetus ab orthodoxa fide et dei vos separantes ecclesiis. Collectas vero canonibus contrarias nequaquam facere praesumatis, scientes ea quae dudum sancita sunt a divae memoriae priorum temporum principibus, qui sanctam catholicamque religionem corroborantes, maximis suppliciis extraneas collectas praesumentes facere subdi sanxerunt.

Nos autem credentes fore ut priorum vos poenitentia capiat, clementiam nullatenus denegavimus, multis utique precibus utente sanctissimo Iuvenale, per quas nos exoravit haec ad vos scripta transmitti. Agnoscentes autem diversorum precibus, quod a militibus custodire iustis Aeliensium civitatem, et equorum multitudine atque virorum vestra monasteria conturbantur, etiam in hoc indignati, Dorotheum virum spectabilem comitem ab hac vos molestia liberare sancivimus: licet nec antea iniuriam fieri monasteriis, aut vestra refugia sustinere praeceperimus angustias.

453 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.485

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.505-508.

Exemplum regiarum literarum scriptarum ad Bassam praefectam monasterii in Aelia, a piissima et Christi amante Augusta Pulcheria.

Serenitatis nostrae studium, animumque in sanctam et orthodoxam fidem, et quomodo eam usquequaque amplificari et celebrari studemus, nemini dubium esse arbitramur; maxime verum omnium id nosse certo tuam reverentiam confidimus.

Sed quoniam his temporibus extitit Simonis erroris imitator, vel potius antichristi praecursor Theodosius: qui quemadmodum affecerit Aeliensium civitatem, Palaestinaeque sanctissimas ecclesias turbaverit, contra divina et humana iura perpetrans innumerabilia mala, et calumnians sanctam et universalem Chalcedone collectam synodum, quasi symbolum trecentorum decem et octo sanctorum patrum commoverit, et labefactarit, et duos filios, duosque Christos, ac duas personas adorari oportere docuerit, nec reverentiam tuam latet: necessarium duxit pietas nostra, per sacras nostras literas antea missas redarguere memorati nefarii viri mendacia, nostramque fidem nobis a maioribus traditam declarare, et quod iuxta symbolum trecentorum decem et octo patrum credimus; quod quidem sancta synodus Chalcedone habita, nihil vel addens vel imminuens, confirmavit. Cum vero benignitate atque humanitate domini nostri et salvatoris Christi, ii qui Aeliensium urbem incolunt, cognovissent meae serenitatis, et religiosissimi domini terrae et coniugis maiestatis meae, veram et orthodoxam fidem, ad eam accurrerunt, multisque laudibus dominum nostrum et salvatorem Iesum Christum ac nostram potestatem celebrarunt, veniamque delictorum quae ante commiserant, orarunt. Ac de illis quidem sacratissimus et piissimus dominus et coniux meae serenitatis, solita usus humanitate, eam typum dedit, qui ipsius pietatem deceat.

Nostra autem serenitas considerans praefati scelesti ac nefarii Theodosii calumnias, metuensque ne quas e religiosis feminis simpliciores circumscriserit, suisque praestigiis et fallaciis eas valuerit a veritate abducere, volensque undique delere memorati scelesti hominis convictam impietatem: idcirco has ad vos sacras nostras literas dirigimus, quibus fidem nobis usque a patribus traditam declaramus, eamque volumus omnibus deo consecratis feminis per vos manifestam esse; quod nos fidem secundum expositum symbolum a trecentis decem et octo sanctis patribus servamus; detestamur vero Photini, et Apollinarii, et Valentini, et Nestorii impietatem; ad haec vero et novellam improbamque Eutychis sententiam: et credimus dominum et salvatorem nostrum Iesum Christum de spiritu sancto et Maria virgine deipara natum esse; confitentes unum et eundem filium Iesum, deum perfectum et hominem perfectum eundem; deum vere, et hominem vere, eundem; nulloque modo divisum, aut separatum, aut conversum salvatorem Christum semper adoramus: in hac fide sine fluctuatione perseverare optantes, et anathematizantes eos qui dicunt duos filios, aut duos Christos, aut duas personas; vel qui dixerunt aut scripserunt, aut dicere audent. Quam quidem sanctam et orthodoxam fidem universalis etiam synodus quae proxime Chalcedone habita fuit, confirmavit; nullamque vel additionem vel detractionem fecit in exposito sancto symbolo a trecentis octodecim sanctis patribus, ac solius Eutychis perversam opinionem condemnavit suffragio sanctis patribus concinente.

Quamobrem reverentia tua, cognita serenitatis nostrae vera ac orthodoxa fide, orare pro nobis ac nostro imperio assidue studeat.

453 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.486

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.509-512.

Exemplum sacrarum literarum scripturarum archimandritis, et reliquis monachis in Aelia et circa eam habitantibus, a sacratissima domina nostra Pulcheria perpetua Augusta.

Preces equidem quas ad nostram direxistis pietatem, indicium vestri erroris ostendunt.

Sacratissimus autem et mansuetissimus imperator, nostrae tranquillitatis coniux, et nostra serenitas, pietatem omnibus rebus praeponere iudicavimus, et clementiam nobis insitam amplectimur. Quae autem eius pietas, vestras supplicationes agnoscens, vobis scripserit, literae divinitatis eius ostendunt, quas vobis multis precibus Iuvenalis sanctissimi episcopi eius exorata tranquillitas destinavit. Nostra vero serenitas culpam equidem ea quae dudum a vobis adversus

venerabilem religionem, communemque disciplinam praesumpta sunt, agentibus illa quae sunt instituto et professioni monachorum valde contraria. Monet autem divinis syllabis, ut licet tarde, tamen ad meliora respicientes, omnem vestrarum animarum adiiciatis errorem, et veritatem fidei cognoscatis, quam a progenitoribus suscipiens nostra pietas, universo tempore conservat, sicut tradiderunt sanctae memoriae trecenti decem et octo venerabiles patres, sine contradictione credens; et Nestorii impietatem expulsam ab Ephesino sancto concilio, cui Caelestinus et Cyrillus reverendae memoriae praesidebant, tamquam inimicam dei iustissime respuit, ac necessarie odio habet Eutyichis resultationem contra rectam doctrinam: qui Valentini et Apollinaris adversus fidem orthodoxam dogmatibus eruditus, religionem veram studuit conturbare. Sequitur autem sanctum concilium, quod nuper Chalcedone congregatum est, quando interpretatione consona trecentorum decem et octo patrum symbolum confirmavit; et credit dominum nostrum et salvatorem Christum ex spiritu sancto et Maria virgine natum, erudita intelligere naturam esse veritatem, et dominum nostrum Iesum Christum deum vere et hominem vere eundem. Sic enim sanctissimus Paulus apostolus docet in epistola ad Galatias, his verbis loquens: Sed tunc quidem nescientes deum, servistis natura non existentibus diis <Ad Gal. 4.8 >: hoc est, nescientes eum qui vere deus est, his qui vere dii non sunt, servistis. His itaque verbis clare nos docet naturam intelligere veritatem. Frustra vero vestras animas falsa percussit opinio, quasi sancta Chalcedonensis synodus congregata docuerit, aut tranquillitas nostra crediderit duos filios, aut duos Christos per duas naturas intelligendos; sed non ita veritas habet. Nos enim abdicantes hoc, anathematizamus eos qui hoc dixerunt, aut scripserunt, aut dicere fortasse praesumunt. Nostra namque potestas unum eundem filium Iesum Christum deum perfectum et hominem perfectum eundem, nullo modo divisum vel mutatum, salvatorum Christum confitetur: semperque in ea fide optamus inconcusse persistere.

Agnoscentes igitur simplicitatem veritatemque nostrae fidei, quam custodire studemus secundum sanctorum patrum veram traditionem; scientes etiam orthodoxam fidem et clementissimam intentionem tranquillissimi rerum domini, et pietatis meae coniugis, et rebus ipsis credentes, per quas solum pietatem in deum respiciens, eos qui sic peccare praesumpserunt, digna ultione castigare distulit: in futuro tempore honore, nostrisque beneficiis cumulari sperantes, de cetero cunctam dubitationem ab animis vestris auferte, et in vestris monasteriis perdurantes, et solitariam vitam reverenter agentes, a recta fide et veritate ecclesiarum vos nolite seiungere; ne (quod non sperat nostra clementia) tamquam veritatis impugnatoribus nomen adscribatur haereseos.

Scitote etiam, quia tranquillitas eius, divinis literis ad Dorotheum comitem destinatis, iussit subtilissimam inquisitionem fieri de subreptione rerum, quae a Samaritanis dicuntur esse praesumpta: et quaecumque direpta monstrantur, ea sanctissimis ecclesiis, et qui ea perdidit, ab eis reddi sancivit, utque raptarum rerum auctores poenas debeant legitimas sustinere.

Monasteria vero et habitacula vestra ab importunitate militum, eiusdem viri sollicitudine libera, et sine molestia conservari praecepit. Credit enim nobiscum eius tranquillitas quia per hanc providentiam atque exhortationem, et priorum vos actuum poenitebit, et catholicae ecclesiae concordia fide possitis uniri in pace et unanimitate, orthodoxa religione servata.

Et alia manu: Deus vos custodiat multis annis, reverendissimi.

453 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.487

Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.513-518.

Exemplum sacrarum literarum piissimi imperatoris Marciani ad sanctam synodum in Palaestina congregatam.

Pietatis nostrae fervorem erga fidem, quantoque quotidie studio circa sanctissimam et orthodoxam fidem utamur, neminem quidem latere putamus: ante omnes vero penitus nosse reverentiam vestram, atque universos qui deo amabili ordine sanctissimorum episcoporum continentur.

Qui vero Christianorum generi ex instituto bellum facit, invidus diabolus non desinit molimina excogitare contra sanctam et orthodoxam fidem: ac priores haereses desperans, aliam nunc adinvenit per impii Eutychis pravam opinionem, qui Photini, et Apollinarii, et Valentini, et Nestorii cum deo pugnantem sententiam aemulatus est; quae nobis peperit impium et praecursorem antichristi, et imitorem Simonis erroris Theodosium: qui aspernatus veritatem (quomodo enim ei assensus fuerat, qui partis antichristi sit, vel potius totum eum induerit?) et pervidens, quod nisi quaedam fingeret astutia et impietate sua digna, non esset habiturus qui eum audirent; quasdam excogitavit et composuit literas, quas solus poterat fingere diabolus: ac per eas sanctam, quae Chalcedone habita est synodum calumniari non destitit; quasi quae docuisset duos filios, et duos Christos, et duas personas adorari debere. Sic simpliciorum animas decipiens, et quosdam alios diabolo deditos, habuit qui ad eum accurrerent: quinimo et monachos et eremitas, et multitudinem ex iis colligens, civitates evertit; caedesque in iis mediis perpetrat; nec quorumcumque, sed sanctorum et religiosorum virorum: audet vero et incendia, et seditiones, et rerum novarum motum contra ipsam rempublicam, divinarum simul et humanorum confusionem faciens, carceres perrumpens, et homicidas qui similia atque ipse ausi sunt, aliosque qui ob nefaria crimina ad supplicium custodiuntur, dimittens; tamquam impunitatem omnibus dans quorumlibet facinorum. Et quasi priora levia sint, addit et alia his graviora. Nam impietati suae laxans habenas, invadit sedem ter beati apostoli Iacobi, ratus se eam tuto non habiturum, nisi eum qui iuxta sanctos canones in ea pridem collocatus est, sanctissimum episcopum Iuvenalem de medio tolleret. Quare immisit qui eum, interficerent. Cum autem praedicto viro potitus non esset, propter eius fidei stabilitatem, et sanctae trinitatis opem ac favorem in eum; Severinum sanctissimum Scythopolitanum episcopum una cum iis qui cum ipso erant, interfecit. Venit autem, ut quidem arbitrabatur, in possessionem sedis. Nec vero eo contentus, eos qui in aliis civitatibus erant, religiosos episcopos e sanctis ecclesiis et e sacerdotio expulit, alios autem impietatis suae ac nefariorum facinorum socios pro iis instituit.

Haec itaque ab eo ausa omnes certo scitis; quandoquidem magnam scelerum partem in vestram reverentiam exercuit. Quae quidem cum ad aures nostrae serenitatis venissent, simulatque audita sunt, iusta sententia, nec tamen satis dignam eius, iniuriis poenam irrogante, sed humaniter castigante, compressa facinora sunt. Quod cum sensisset, Hierosolymis aufugit, ac vitat Palaestinam universam, quam multis, malis affecerat, sicuti ipsis oculis sanctitas vestra accepit: seipsum vero in Sina monte una cum quibusdam scelestorum consiliorum participibus occultat, eo se quasi in latibulum, inque ferarum cubicula abdens, ac comparans se adversus veritatem. Cumque vellet conatus suos ad exitum adducere, simpliciorumque illic animas mendaciis suis captivare, obtrectans sanctae synodo, quaedam contra eam effutivit, vel potius contra salutem suam, quae impiae ipsius solius menti et linguae consentanea sunt.

Quamobrem studium sanctissimae nostrae fidei invigilans pietas nostra (ab ea enim imperium nostrum pendere et firmari confidimus) ad Macarium reverendissimum episcopum, et ad archimandritas, monachosque omnes qui in praefato monte degunt, sacras literas misit, scelerati Theodosii vesaniam et impietatem redarguens, exhortans fugere eius commenta, falsosque sermones, simplicem vero et inculpatam fidem colere, sicut a sanctis trecentis octodecim patribus qui Nicaeae fuerunt, accepimus, et eum eiicere e praedictis venerabilibus locis, ne ipsa quoque polluantur Theodosii scelere: vel etiam eum tradere una cum ipsius satellitibus provinciae praefecto, ut perducatur ad magnificentissimi et gloriosissimi praetoris orientis exconsulis et patricii iudicium: quandoquidem metus est (nam omnimodum malum est diabolus, quem Theodosius induit) ne ex iis locis effugiens, et in Palaestinam se referens, illis partibus scelera sua inserat, simpliciorumque animas circumveniat.

Sacras porro literas nostras ad vestram dirigimus reverentiam, sanctitatem vestram hortantes, ut praecaveatis nefarii hominis adventum, et plebis aures atque animos praecoccupetis, veritatem orthodoxae fidei dicantes, ac docentes, quod nos usque a patribus in sancta et orthodoxa fide sumus, et iuxta symbolum trecentorum octodecim sanctorum patrum credimus;

odimus vero ac execramur Photini, et Apollinarii, et Valentini, et Nestorii impietatem, ac praeterea recentem perversamque Eutyichis opinionem. Et credimus dominum nostrum et salvatorem Iesum Christum de spiritu sancto et Maria virgine dei genitrice natum esse, confitentes unum et eundem filium Iesum, deum perfectum et hominem perfectum eundem: deum vere et hominem vere eundem: nulloque modo divisum, aut separatum, aut conversum salvatorem Christum adoramus. In hac fide non fluctuantes permanere optamus, anathematizantes eos qui dicunt duos filios, aut duos Christos, vel qui dixerunt, scripserunt, vel dicere praesumunt. Quam quidem sanctam et orthodoxam fidem nuper Chalcedone congregata oecumenica synodus etiam confirmavit, nulla additione aut diminutione in exposito sancto symbolo a trecentis octodecim sanctis patribus facta: Eutyichis solius mala opinione condemnata suffragiis coetui sanctorum patrum consentientibus.

Hac enim fide potestas nostra freta est, in eaque permanere et studet et optat, nostrumque ab ea custodiri imperium.

Nostram itaque veram et colendam et orthodoxam fidem, quam et sancta synodus quae Chalcedone facta est, confirmavit, universae multitudini praedicantes, et maxime archimandritis, qui sententiam secuti non sunt nefarii Theodosii, qui civitates et ecclesias, quantum quidem in ipso fuit, evertit, consuetas orationes pro nobis ac Romano statu intentius facere ne intermittatis.

455 Valentinianus (3) - Marcianus

Coleman-Norton no.489

Migne 1844f, v.56, cols.551-554 (Appendix ad S. Leonis Magni opera).

Excerpt in Cod.Iust.1.5.8 (which begins: Impm. Valentinianus et Marcianus AA. Palladio pp. and ends: D.K. Aug. Constantinopoli Valentiniano A. VIII et Anthemio cons.) and Cod.Iust.1.7.6 (with the same beginning and end).

Idem Augustus <Marcianus> Palladio praefecto praetorio.

Licet iam sacratissima constitutione mansuetudinis nostrae cautum ac definitum sit quae in eos severitas exercenda sit qui, Eutychetis vel Apollinaris haeticam perversitatem secuti, a religione et fide catholica deviarunt: Alexandrinae tamen urbis cives atque habitatores tantis sunt Apollinaris infecti venenis, ut necessarium fuerit ea quae iam ante sanximus repetita nunc etiam lege decernere. Oportet enim ut sit numerosa severitas sanctorum, ubi est crebra licentia culparum. Custodiendae praeterea orthodoxae fidei tanto a serenitate mea cura adhiberi impensior debet, quanto res humanas divinae praecedunt.

<Cod.Iust.1.5.8> Quicumque ergo vel in hac sacra urbe, vel in Alexandrina civitate, vel in omni Aegyptiaca dioecesi, diversisque aliis provinciis, Eutychetis profanam perversitatem sequuntur, et ita non credunt ut trecenti decem et octo sancti Patres tradiderunt, catholicam fidem in Nicaena civitate fundantes; centum quoque et quinquaginta alii venerabiles episcopi, qui in alma urbe Constantinopolitana postea convenerunt; et sicut Athanasius, et Theophilus, et Cyrillus sancti episcopi Alexandrinae civitatis credebant; quos etiam Ephesina synodus, cui beatae memoriae Cyrillus praefuit, in qua Nestorii error expulsus est, in universis secuta est; quos et nuper venerabilis synodus Chalcedonensis est secuta, prioribus conciliis sacerdotum ex omni prorsus parte consentiens, nihilque adimens sacrosancto symbolo, neque adiiciens, sed Eutychetis dogmata funesta condemnans: sciant se haeticos esse Apollinaristas. Apollinaris enim facinorosissimam sectam Eutyches et Dioscorus mente sacrilega sunt secuti; ideoque hi omnes qui Apollinaris vel Eutychetis perversitatem sequuntur, illis poenis quae divorum retro principum constitutionibus contra Apollinaristas, vel serenitatis nostrae postmodum sanctione contra Eutychianistas, vel hac ipsa augustissima lege contra eosdem decretae sunt, noverint se esse plectendos.

Idcirco Apollinaristae, id est Eutychianistae (quibus etsi est in appellatione diversitas, est tamen in haeresis pravitate coniunctio; et dispar quidem nomen, sed idem sacrilegium), sive in hac alma urbe diversisque provinciis, sive in Alexandrina civitate, sive in Aegyptiaca dioecesi sunt, neque ita credunt ut praedicti venerabiles Patres credebant, neque viro reverentissimo Alexandrinae urbis antistiti Proterio fidem orthodoxam tenenti communicant, secundum sacratissimas divorum

retro principum constitutiones quae de Apollinaristis promulgatae sunt, non habeant potestatem faciendi testamenti et condendae ultimae voluntatis, neque id capiant quod ipsis ex testamento cuiusquam fuerit derelictum, nihil etiam ex donatione aliqua consequantur, sed si quid in ipsos vel liberalitate viventis, vel morientis fuerit voluntate collatum, id fisco nostro protinus addicatur. Ipsi vero in nullos aliquid ex facultatibus suis donationis titulo et iure transfundant.

Episcopos quoque, vel presbyteros, aliosque clericos illis creare et habere non liceat, scientibus tam hos Eutychnianistas vel Apollinaristas qui ausi fuerint cuiquam episcopi, vel presbyteri, vel clerici nomen imponere, quam hos qui conati fuerint impositum sibi nomen sacerdotale retinere, poenam exsilii cum facultatum suarum amissione subituros.

<Cod.Iust.1.7.6> Eos vero qui antehac catholicarum ecclesiarum clerici, vel orthodoxae fidei monachi fuerunt, et relicto vero et orthodoxo omnipotentis dei cultu, Apollinaris vel Eutychetis haeresim et dogmata abominanda sectati sunt, vel postea sectabuntur, omnibus poenis quae vel hac, vel prioribus legibus adversus haereticos constitute sunt, iubemus teneri, et extra ipsum quoque Romani imperii solum <re>PELLI, sicut de Manichaeis praecedentium legum statuta sanxerunt.

<Cod.Iust.1.5.8> Universi praeterea Apollinaristae vel Eutychnianistae nec ecclesias nec monasteria sibi constituent; parasynaxes et conventicula tam diurna quam nocturna non contrahant, neque ad domum, neque ad possessionem cuiusquam, neque ad monasterium, vel ad quemcunque alterum locum operaturi sectae funestissimae congregentur.

Quod si fecerint, et hoc factum fuisse domino volente constiterit, post rem in examine iudicis approbatam, domus vel possessio in qua convenerint fisco sine dilatione societur; monasterium vero eius civitatis orthodoxae ecclesiae in cuius territorio est iubemus addici.

Si vero ignorante domino, sciente vero eo qui pensiones domus exigit, vel conductore, vel procuratore, vel actore praedii, parasynaxes et conventicula interdicta collegerint; conductor, vel procurator, sive actor, seu quicumque est, qui in domo, sive possessione, vel monasterio eos receperit, et passus fuerit illicitas parasynaxes conventusque celebrari, si vilis conditionis est et abiectae, fustibus publice, et in poenam suam, et in aliorum coerceatur exemplum; si vero honestae personae sunt, decem libras auri mulctae nomine fisco nostro cogantur inferre.

Nullum praeterea Apollinaristam vel Eutychnianistam ad aliquam iubemus aspirare militiam, nisi ad cohortilianam vel limitaneam. Si qui vero extra cohortilianam vel limitaneam inventi fuerint militare, soluto cingulo, honestorum hominum et palatii communionem priventur; nec in alia quam in ea in qua nati sunt civitate, vel vico ac regione versentur.

Si qui vero in hac alma urbe nati sunt, tam sacratissimo comitatu quam omni per provincias metropolitana civitate pellantur.

Nulli insuper Eutychnianistae vel Apollinaristae publice vel privatim advocandi coetus et circulos contrahendi, et de haeretico errore disputandi, ac perversitatem facinorosi dogmatis asserendi, tribuatur facultas.

Nulli etiam contra venerabilem Chalcedonensem synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere atque emittere, aut aliorum super eadem rescripta proferre, nemo huiusmodi habere libros et sacrilega scriptorum audeat monumenta servare. Quod si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnentur.

Eos vero qui discendi studio audierint de infausta haeresi disputantes, decem librarum auri quae fisco nostro inferendae sunt, iubemus subire dispendium. <Cod.Iust.1.5.8 adds: Ultimo etiam supplicio coerceantur, qui illicita docere temptaverint>

Omnes vero huiusmodi chartae ac libri qui funestum Eutychetis, hoc est Apollinaris, fuerint dogma complexi, incendio concrementur: ut facinorosae perversitatis vestigia ipsa flammis ambusta depereant. Aequum namque est ut immanissima sacrilegia par poenae magnitudo percellat, Palladi parens charissime atque amantissime.

Illustris igitur et magnifica auctoritas tua, quae hac sacratissima constitutione decrevimus, in hac alma urbe, diversisque provinciis, ac praecipue in Alexandrina civitate, et per universam Aegyptiacam dioecesim edictis ex more propositis, ad omnium notitiam faciat pervenire: ut

cuncta quam statuimus eis qui rei fuerint deprehensi, severitas protinus exerceatur: scientibus moderatoribus provinciarum, eorumque apparitoribus, defensoribus etiam civitatum, quod si ea quae legis huius religiosissima sanctione custodienda decrevimus, aut neglexerint, aut aliqua permiserint temeritate violari, denarum librarum auri mulctam fisco nostro cogentur inferre, et insuper existimationis suae periculum sustinebunt.

Ea quoque quae de paganis per omne Romanum imperium valitura aequaliter perennitatis nostrae lege decrevimus, in eos instantissime exerceantur quos constiterit profanos ritus ac simulacrorum impios cultus, et interdicta sibi sacrilegia celebrare.

Data Kal. Aug., Constantinopoli, divo Valentiniano Augusto et Anthem<i>o viro clarissimo consulibus. <I.Aug.455>

Another version in Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.517-520:

Imperator Marcianus Augustus, Palladio praefecto praetorii.

Licet iam etiam sacratissima constitutione mansuetudinis meae cautum ac definitum sit, [...]

Data sub die Kalendarum Augusti, Constantinopoli, divo Valentiniano octavum, et Anthemio, viris clarissimis, consulibus.

459 Leo (1)

Hänel 1857, no. 1212 pp.258-259; Mansi 1758f, v.7 (451-492) cols.521-522.

Imperator Caesar Leo, piissimus, victor, et triumphator maximus, semper Augustus, Anatolio regiae civitatis episcopo.

Votum quidem meae pietatis fuit, universas orthodoxorum sanctas ecclesias, nec non et civitates sub Romano imperio constitutas maxima frui quiete, nihilque contingere, quod possit earum statum tranquillitatemque turbare. Qualia vero in Alexandrinorum civitate nuper evenerint, iam quidem nosse tuam credimus sanctitatem. Ut tamen perfectius cuncta cognoscas, et quae causa tanti tumultus confusionisque fuerit, exemplaria precum, quas reverentissimi episcopi et clerici a praedicta civitate et Aegyptiaca dioecesi ad regiam Constantinopolim venientes, contra Timotheum, meae clementiae porrexerunt; nec non et exemplaria precum, quas hi, qui in sacratissimum nostrum expeditum pro Timotheo ab Alexandrina civitate venientes, nostrae tranquillitati obtulerunt, tuae sanctitati direximus: quatenus quod actum est de praedicto Timotheo, quem Alexandrinorum populus, et honorati, et curiales, et naucleri episcopum sibi petunt, aliisque negotiis, quae ipsarum precum continet textus: ad haec autem et de Chalcedonensi concilio, cui nullo modo consentiunt, quemadmodum libelli adiuncti ostendunt, clare sanctitas tua possit agnoscere. Tua siquidem reverentia omnes orthodoxos episcopos, qui in praesenti in hac urbe regiae commorantur, nec non et reverentissimos clericos ad se repente faciat convenire, et diligenter omnia pertractantes atque discutientes, quoniam Alexandrinorum civitas perturbata est, pro cuius disciplina et quiete maxima sollicitudo nobis existit; aut de praedicto Timotheo, aut de Chalcedonensi concilio, quid in commune sapitis; sine quolibet humano terrore, et absque gratia cuiuscunque vel odio, solummodo omnipotentis dei timorem vestris oculis proponentes (quoniam, sicut nostis, de tali causa intemeratae divinitati rationem eritis sine dubio reddituri), cum omni celeritate meam facite cognoscere pietatem: ut ex omnibus vestris literis haec integre cognoscentes, formam congruam dare possimus, quatenus Aegyptiaca dioecesis et Alexandrinorum civitas, pro cuius quiete nos prae omnibus convenit cogitare, tranquillitate sanctarum ecclesiarum, et disciplina, et inconcussa pace potiatur.

473 Glycerius

Coleman-Norton no.519

Migne 1844f, v.56, cols.896-898 (Appendix ad S. Leonis Magni opera); Hänel 1857, no. 1226 pp.260.

Exemplum sacri edicti Glycerii Imperatoris datum ad Himilconem v.c. Praefectum praetorio Italiae contra ordinationes simoniacas.

Supernae maiestatis admonitu nostri ortu imperii nihil prius debuit ordinari, quam ut Christianae religionis sacrosancta mysteria reverentia maiore colerentur: quia ambigi non oportet, deum universitatis auctorem tanto magis fovere mortalia, quanto purior cultus per innocentiam sacerdotum divina suspenderit.

Iamdudum etenim adolescentibus vitiis clericorum, adhuc in privatae vitae conversatione degentes probavimus, episcopatus pro parte maxima non impetrari meritis, sed pretiis comparari: quod indecora cupiditas in usum redacta, quasi licitum fecerat iam videri. Ademptum est studium. bonae conscientiae, fecitque id, quod de deo sperare debuit, ad pecuniam et exactionem vocare. Hinc natum est, ut antistitum reverentia magis potestas saeculi putaretur, et tyrannopolitas esse se malint, qui vocabantur antistites; ac religione neglecta, sub hominum patrociniis constituti, publica magis quam divina curarent, hoc ipso perpetuitatis privilegio delictorum suorum impunitate gaudentes, ecclesiarumque opes, quas mali propositi dedecora protegentes, pauperum dicunt esse divitias, studio veluti cuiusdam administrationis auferrent, aliis in praesenti dando praemia, nonnullis se chyrographis obligando, vendendoque in quaestum debitoris quod oportebat egentibus prorogari.

Unde factum credimus, ut offensa divinitas, quod tot malis probamus experti, favorem suae maiestatis averteret, et Romanam gentem tantis, quae transacta sunt, infortuniis fatigaret. Quo enim ore, quave impudentia ab eo mundi totius supplicatur auctori, qui ad oblationem sacrificii non iudicio sacrosanctae trinitatis eligitur, sed hominis favore provehitur? Aut quid huiusmodi episcopi non putent esse venale, qui sancta mysteria subiecere commerciis? Qua rerum ratione permoti hac mansura in aevum lege sancimus, ut quisquis ad episcopatum personarum auxilio suffragante pervenerit, saeculariter possideat, quod saeculariter fuerit consecutus; id est ut finitis unius anni metis, noverit episcopatu se esse privandum. Eiusdem sane anni, quo sacerdos vocatur, comes nostri patrimonii ecclesiasticae substantiae moderetur expensas.

Is quoque, qui talem consecraverit, aut quicquam pecuniarum ab eo, qui est consecrandus, datum cuilibet promissumve cognoverit, aut callide dissimulandum esse crediderit in eo, quem intelligit, non per puram conscientiam, sed per turpe pretium ad hoc pervenire voluisse, pari de sacerdotio sorte deiectus, similem poenam temerariae consecrationis exsolvat: arguendi hoc latens facinus non solum his, qui in ecclesia constituti sunt, verum etiam quibuscunque nostrae religionis hominibus facultate permissa, scituris omnibus, qui obiecta potuerint edocere, praemium se pro nostro arbitrio sanctae accusationis habituros.

Cives quoque uniuscuiusque urbis, quos ad acclamationes ambientium non personae dignitas, quae petenda est, sed venalitas punienda sollicitat, sciant se patriae, cui tam male consulunt, habitatione pellendos, ac tantum de suis facultatibus eruendum, fiscoque nostro esse promissum. Facessat igitur ab ecclesiis foeda pariter ac profana licitatio: internuntii turpis pretii conquiescant. Coelestia nefas est in auctione constitui. Sacerdotii magnum, ut dictum est, opus non pecuniis, sed meritis ambiatur; et secundum priscorum regulam sacerdotum quantitas poscentium et qualitas ponderetur, vita inspiciatur electi. Nimis enim detestabile est, ut quilibet ad episcopatus apicem illicita corruptione venturus, ecclesiae facultates, quarum dispensator magis debet esse quam dominus, prius paene quam adipiscatur exhauriat.

Quibus nostrae serenitatis <apicibus> et pravorum mentes putamus comprimi, et ad maiora studia virtutum bonas conscientias incitari. Illud quoque de iustitia omnipotentis dei ac pietate dubitare non possumus, facilius nos divinis auxiliis protegendos, cui per innocentes et probatos episcopos omnipotentiae iuvamina postulemus, Himelco, parens carissime atque amantissime. Unde illustris et praecelsa magnificentia tua hanc serenitatis nostrae legem, quae et sacerdotes sacrosanctae religionis corrigit et ministros, propositi a te edicti programme per omne nostri corpus vulgabit imperii.

Et manu divina: Vale Himelco, parens carissime atque amantissime.

Datum V. Id. Mart. Ravennae, Domino Leone perpetuo Augusto V. Cos. <11.Mar.473>

Hänel 1857, no. 1226 pp.260; Migne 1844f, v.56, col.898 (Appendix ad S. Leonis Magni opera).

Felix Himelco praefecto praetorio <Italiae>, Dioscurus, Aurelianus, Protadius vv. cc. pp. dd. Quemadmodum Dominus noster invictissimus princeps Glycerius pro beatitudine saeculi melioris et suorum correctione mortalium, ne quid in supernae maiestatis deinceps ex sacerdotali ordinatione tentaretur iniuriam, ac bonae conscientiae meritum nummarii fieret causa suffragii, edictalibus inhibendum crediderit constitutis, sermonis regii in antelatis praeferretur oraculis, scilicet ut quae divina sunt, mundanis suffragiis non iuventur, quatenus licitatione summota sublatisque piaculis delictorum, sacerdotales infulas optimae conscientiae norma possideat, ne quae religionis erogationibus, ad conciliandam videlicet divinae clementiae maiestatem proficere debuissent, ad instar saecularium administrationum in patrociniis acquisitionibus funderentur: quod profecto ad alimoniam pauperum mens devota supernae maiestati, et non avara contulerat. Neque enim quispiam profanae intentionis existeret, qui mente sacrilega abhorre tam religiosa debeat constituta sacerdos, nisi qui de suae pollicitationis conscientia voluerit confiteri. Ut enim haec, quae decreta sunt, praedicabilibus moribus placitura confidimus, ita deteriores mentes ex his, quae salubriter definita sunt, non dubitamus offendi.

Proinde hoc edictali programme universitatem duximus commonendam, ut ab illicitis deinceps se ambitionibus suffragiisque summoveant, ne necesse sit cum obligatione propriae conscientiae, quam divinae maiestati interest semper obnoxiam detineri, iuxta sacratissima constituta poenam proprii subire peccati.

Datum III. Kal. Maii Romae. <29.Apr.473>

?488

Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: CIL 06, 01711 (p 855, 3173, 4741, 4793) = CIL 06, 31908; Hänel 1857, no.1152 p.235.

Claudius Iulius Ecclesius Dynamius v(ir) c(larissimus) et inl(ustris) urb(i) praef(ectus) d(icit) amore patriae compulsi ne quid diligentiae deesse videatur studio nostro adici novimus ut omnium molendiniorum fraudes amputentur quas subinde venerabili populo atq(ue) universitati fieri suggerentibus nobis agnovimus et ideo stateras fieri praecepimus quas in ianiculo constitui nostra praecepit auctoritas unde hoc programme universitatem nosse decernimus frumenta cum ad haec loca conterenda detulerint consueta fraudibus licentia [quo modo] possit amoveri primo pensare non differant deinde postquam fregerint propter fidem integrae observationis adhibitis isdem ponderibus agnoscant nihil sibi abstulisse licentiam fraudatorum accipere autem secundum constitutum brevem molend[in]arios tam in ianiculo quam per diversa praecepimus per modium unum nummos III ita quod si quis eorum inlicita praesumptione farinam crediderit postulandam deprehensus et multae subiaceat et fustiaro supplicio se noverit esse subdendum illud autem humanitas [nostr]a propter corporatorum levamen adicit ut si qui voluntate propria non compulsus sed donandi nimo farinam offerre voverit habeat qui accipit liberam facultatem

514 Anastasius

Coleman-Norton no.544

Günther 1895, pp.501-502 (Collectio Avellana, no.109); Mansi 1758f, v.8 (492-536) col.388

Anastasius <Augustus> Hormisdas papae.

Omnibus negotiis divinae res praeponendae sunt; deo etenim omnipotente propitio rem publicam et conservandam et meliorandam esse confidimus.

quia igitur dubitationes quaedam de orthodoxa religione in Scythiae partibus videntur esse commotae, id specialiter clementiae nostrae placuit, ut venerabilis synodus in Heracleotana civitate provinciae Europae celebretur, quatenus concordantibus animis et omni veritate discussa vera fides nostra orbi terrarum omni manifestius innotescat, ut deinceps nulla possit esse dubitatio vel discordia.

quapropter sanctitas tua cum quibus sibi placuerit reverentissimis episcopis, quos de ecclesiis sub sui sacerdotii cura constitutis idoneos et instructos erga orthodoxam religionem esse probaverit, ad praedictam Heracleotanam civitatem intra diem Kalendarum Iuliarum venire dignetur.

Data V. Kal. Ian. Constantinopoli. Senatore v.c. cons. <28.Dec.514>

Accepta prid. Idus Maias Florentio v.c. cons. <14.May.515>

515 Anastasius

Coleman-Norton no.545

Günther 1895, pp.499-00 (Collectio Avellana, no.107); Mansi 1758f, v.8 (492-536) col.384; Migne 1844f, v.63, cols.369-370.

Victor Anastasius pius felix inclitus triumphator semper Augustus Hormisdæ sanctissimo ac religioso archiepiscopo et patriarchae.

Beatitudini vestrae non putamus ignotum, quod pro temporis qualitate loquendum atque tacendum etiam divinae scripturae provida est ammonitione dispositum. exactum proinde silentii tempus incitamenta nobis loquendi concessit atque ideo oportunum esse perspeximus, quae apud nos sub religionis specie commoventur, auditui vestro committere. ante hoc siquidem duritia eorum, quibus episcopatus, quem nunc geritis, erat sollicitudo commissa, temperare nos a transmittendis faciebat epistolis; nunc autem currens de vobis suavis opinio ad memoriam nostram bonitatem paternae affectionis adduxit, ut illa requiramus, quae deus et salvator noster sanctos apostolos divino sermone docuit ac maxime beatum Petrum, in quo fortitudinem ecclesiae suae constituit.

his igitur praefatis initiis hortamur, ut ad ea, quae de Scythiae partibus mota sunt, unde et concilium fieri convenire perspeximus, mediatorem se apostolatus vester faciat, ut contentionibus amputatis unitas sanctae restituatur ecclesiae. nobis autem omnia optata praestantur, si orationibus vestris et frequenti paginarum allocutione nostri memores fueritis.

Data pridie Idus Ian. Constantinopoli <12.Ian.515>

Et accepta Anthemio et Florentio vv. cc. cons. V. Kal. April. per Patricium. <28.Mar.515>

515 Anastasius

Coleman-Norton no.546

Günther 1895, pp.537-540 (Collectio Avellana, no.125); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.395-397; Migne 1844f, v.63, cols.381-383.

Exemplum sacrae Anastasii Augusti Hormisdæ papae, per Ennodium et Fortunatum episcopos, Venantium presbyterum, Vitalem diaconum et Hilarum notarium.

Gratias omnipotenti deo referimus, quod sanctitas vestra disciplinis caelestibus instituta, sicut poposcimus, legatos fidei Ennodium et Fortunatum venerabiles episcopos sed etiam viros religiosos Venantium presbyterum Vitalem diaconum et Hilarum notarium, quales poscebat causae sublimitas, destinavit, qui negotii magnitudinem implere possint ecclesiastici luce sermonis quique operante deo omnia subtiliter requirentes, quae ad rectam et veram Christianorum pertinent fidem, et ipsi sicut decuit declararunt et a nobis sicut oportuit agnoverunt, quia una est ecclesia dei apostolicis ubique firmata doctrinis.

unde quis audeat de domini nostri Iesu Christi incarnatione aliter quam habet veritas ipsa sentire, nisi ut confiteatur aequalem et consubstantialem patri filium salutis nostrae causa iuxta annuntiationem archangeli in utero virginis carnem ex eadem assumentem hominem factum et, sicut ait apostolus, in servili forma, ut crucem pro nobis carne susciperet?

de quo beatus Petrus apostolus Iudaeis dicit: vos petistis vobis dimitti virum homicidam, auctorem vero vitae interfecistis <Acts 3.14-15>; de quo etiam legitur in Paulo apostolo: factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis. <Philipp.2.8> confitemur enim, quod genitrix dei beata virgo Maria in vera carne et anima rationabili et intellegibili nobis deum peperit salvatorem, quem hominibus deo patri et spiritui sancto ante saecula, eundem nobis quoque hominibus praeter peccata nostra in fine temporum credimus et probamus fuisse progenitum, sicut propheta David dicit: de ventre matris meae deus meus es tu. <Psalm.21.11>

quae tamen ita sine defectu vel confusione nostri corporis est adsumpta nostra substantia, ut in eadem carne dei filius mundum examinaturus adveniat oculis omnium vulnerum et clavorum indicia repraesentans, sicut scriptum est: et videbunt, in quem pupugerunt. <Ioh.19.37>

cum omnibus etiam orthodoxis impiissimos Nestorium atque Eutychetem vitamus pariter et horremus eorum condemnantes et anathematizantes et personas et dogmata detestabilibus sacrilegiis comparanda, qui dispensationem divinam et humanae remedia infirmitatis similiter aut nescire voluerunt aut cognita blasphemare. tale igitur circa fidem clementiae nostrae propositum summus deus ab exordio vitae sensibus nostris immisit, unde et imperium nostrum credimus custodiri.

miramur autem, quam ob rem de beatissimis patribus, qui in Chalcedona convenerunt, aliqua nobis scribere voluistis, dum ea, quae ab his fuerant constituta, decessorum nostrorum multiplicibus decretis confirmata monstrantur et cum nec alia synodus facta fuerit, per quam, quae ab illa disposita sunt, redderentur infirma, nec lex a nobis processerit, cuius novitate statuta praefati episcopalis concilii solverentur, maxime cum ipsa synodus dixerit anathema esse debere, quicumque aliam fidem, quam apud Nicaeam trecenti <decem> et octo venerabiles patres constituerunt, docere vel immutare voluerit. ad hoc etiam eos, quos superius comprehendimus, id est Nestorium et Eutychetem, damnaverunt, quos nos quoque damnamus. nam pro hac causa attestantur nobis etiam divinae litterae ad Alexandriam non semel sed multotiens destinatae, per quas obiurgavimus, cur sibi non arbitrarentur posse sufficere directam fidei doctrinam recedentes ab anathemate Chalcedonensis synodi vel venerandae memoriae Leonis episcopi. unde non parvum studium apud nos et intentio in praesenti quoque perdurat, quatenus a superfluo anathemate eosdem possimus abstrahere et sanctae ecclesiae universali coniungere.

de capitulo vero, quod solum videtur esse residuum, nostra voluntas petitioni vestrae fortasse propter unitatem ecclesiarum convenerat, nisi alia venerabilibus ecclesiis ex hac re moveri scandala crederemus. nunc universa, quae sint facienda, perpendite, quia grave esse clementia nostra iudicat de ecclesia venerabili propter mortuos vivos expelli nec sine multa effusione humani sanguinis scimus posse ea, quae super hoc scribitis, ordinari. omnia tamen a deo sperantes consilium melius agere poteritis quam ab his hominibus, qui propter errores suos provincias percurrentes inimicam evangelii sanctis et ecclesiis volunt esse discordiam. ergo ut sit placens supernae maiestati ecclesiarum unitas providete, quia qui nobis in his, quae praefati sumus, obsistit, ignoramus si bene nos arguit. per omnia tamen voluntatis nostrae puritatem legatorum vestrorum poteritis narratione cognoscere.

petimus autem, ut pro nobis apostolatus vester orare dignetur: quod vos libenti animo facere hac poterimus maxime ratione cognoscere, si perfectam nobis unitatem ecclesiarum dignatus fuerit deus vobis disponentibus condonare. illa enim vox dei magnam benedictionem diligentibus se mandavit atque donavit, qua declaravit: pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis. <Ioh.14.27> <[Iul.516]>

516 Anastasius

Coleman-Norton no.547

Günther 1895, pp.503-504 (Collectio Avellana, no.111); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.397-398; Migne 1844f, v.63, col.383.

Anastasius Augustus Hormisdæ papae, per Theopompum et Severianum vv.cc.

Omnia, quae benignitas conceperit animorum dulci ambitu et festinatione laudabili propagantur nec sibi requiem putant posse praestari, donec ad effectum saluberrimum desiderata perduxerint, et tunc quaedam ipsius festinationis fit requies, dum contigerit spes votorum. quod in praesenti nos certa ratione pertulimus, donec caelestis favor et nostrae petitioni aditum et vestrae promissioni serenum donet effectum.

ergo quia vel maxima itineris longitudo vel ultra solitum morem hiemalis asperitas, quod optabamus, nobis fecit incertum, interim intra animos nostros desiderata compressimus, beneficia divina captantes, quae bonae exitus rei sua interpositione decidunt. agnoscentes igitur, quod eius pietas primam nobis gratiam condonavit, ut missa legatio ad beatitudinem tuam feliciter

remearet, ad secundam processimus ut dirigeretur a nobis promissa legatio, per quam et commemoratio fieret eorum, quae cum sanctissimis viris longa deliberatione contulimus, et item deo auspice tam nostrae petitionis quam vestrae gratiae ad integrum lux serena desplendeat et toto orbi gaudia expectata donentur.

commemorationis itaque loco vel salutationis honorem reddendo Theopompum virum illustrem, comitem domesticorum, agentem sacri nostri palatii scolam, fidelem nobis vel pro suis moribus vel pro ipsa affectione genitralis nostrae provinciae, sed at Severianum v.c. comitem sacri nostri consistorii ad vestram direximus sanctitatem, qui ordinem litterarum propria voce testantes ad celeritatem spectata provocent, quae etiam caelesti misericordiae credimus placuisse.

Data XVII. Kal. Aug. Constantinop. Petro v.c. cons. <16.Iul.516>

516 Anastasius

Coleman-Norton no.548

Günther 1895, pp.506-507 (Collectio Avellana, no.113); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.399-400; Migne 1844f, v.63, col.385.

Anastasius Augustus Senatui urbis Romae per Theopompum [identified in no.111, p.504 as: virum illustrem comitem domesticorum, agentem sacri nostri palatii scolam] *et Severianum* [identified in no.111, p.504 as: v.c. comitem sacri nostri consistorii] *vv.cc.*

Imperator Caesar Flavius Anastasius Pontifici inclitus Germanicus inclitus Alamannicus inclitus Francicus inclitus Sarmaticus inclitus Tribunicii imperii XXV Cons. tertio pius felix victor ac triumphator semper Augustus Pater patriae Proconsulibus Consulibus Praetoribus Tribunis plebis Senatui suo salutem dicit.

Si vos liberique vestri valetis, bene est; ego exercitusque meus valemus.

Quotiens utrisque publicis rebus prospera voluntate consulitur, non solum exhortatio sed postulatio quoque creditur esse conveniens, ut duabus in unum concurrentibus causis animus incitatus, quod felix et bonum partibus sit, valeat adipisci. Si enim Christus deus et dominus noster et per mitissimam voluntatem et quandam dispensationis petitionem nos revocavit ad se et redemptos proprio sanguine libertati restituit, ut salutem mortalitati praestaret, non videtur absurdum tam apud gloriosissimum regem quam apud beatissimum papam almae urbis Romae patres conscriptos imperiali petitioni coniunctos ea sperare, quae et nobis et sibi deo annuente in commune proficiant, hoc est, ne fugitivorum audiant concinnatos sermones et mendacio solo compositos sed satisfactione suscepta, quam et veritas et legatorum qui directi sunt inquisitio patefecit, ad desideratam pacem acceptabili deo voluntate concurrant.

Indubitatum siquidem est ex longa annorum serie multam partem rei publicae vestrum vindicare constantiam. Proinde oportet sanctissimum coetum vestrum sollerti studio ac provido labore contendere tam apud excelsum regem, cui regendi vos potestas vel sollicitudo commissa est, quam apud venerabilem papam, cui intercedendi apud deum facultas est praestita, ut in ea parte animi sui bonitatem dignentur impendere, in qua utriusque rei publicae membra sperata sanitate salventur. Implebitis enim veterem consuetudinem et nimis consilio vestro notissimam, si ea, quae publicae utilitati conveniunt, tractando sperando postulando effectum adipisci deo auspice feceritis.

Data V. Kal. Aug. Chalcedone Petro cons. <28.Iul.516>

516 Anastasius

Günther 1895, pp.508-509 (Collectio Avellana, no.114); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.400-401; Migne 1844f, v.63, cols.386-387.

Rescriptum Senatus urbis Romae ad Anastasium Augustum per Theopompum et Severianum *vv.cc.*

Si prima semper est, imperator invicte, a regentibus supplicum spectata devotio, si solo gratia dominorum conciliatur obsequio, indubitanter agnosces, sacrae iussionis oracula quanta senatus vestri fuerint gratulatione suscepta, maxime cum ad hoc et animus domini nostri invictissimi

regis Theoderici filii vestri mandatorum vestrorum oboedientiam praecipientis accederet et sciamus supra omnia beneficia vestra tunc magis nos erigi, cum dignos creditis, quibus debeat imperari. mox igitur sacrae studio iussionis implendae beatissimum papam Hormisdam credi<di>mus deprecandum. de quo parum est dicere, quia vota supplicantium benignitate praecessit; sed et nobiscum suas preces, ut quod hortamini fiat, adiunxit evangelicis voluntatem suam testimoniis adserendo, ostendens mundum supra multitudines peccatorum suorum scandalis plus gravatum, dum vox sit ista dominica: vae mundo ab scandalis, et <absc>idere oportere homines scandalizantem partem membrorum, quam ut in ignem non renuntiando scandalis mittantur aeternum. sed et post haec divinae lectionis exemplis, quam boni sint fructus pacis, ostendit, cum diceret et apostolum Paulum gratia dei plenum nihil tamen, quibus bene cupiebat, quod optaret, melius invenisse, nisi ut pax dei, quae vox ista dicentis: quoniam pacifici filii dei vocabuntur. <Matth.5.9> et iterum ad ipsum scripturarum omnium revertendo doctorem, quanto ipsa vel fide, qua et caelestia regna praesumimus et a peccatorum cruciatibus credendo salvamur, caritas sit maior, ostendit testimonium tale subiiciens: spes fides caritas, maior autem omnium caritas.<I.Corinth.13.13> idem spiritus gratia donante divina caritatem virtutibus omnibus evacuat non habentes. ergo si et propter poenam scandala declinamus et pacem propter pacis bona sectamur et ad caritatem nos, qui est caritas, Christus hortatur: quid est enim, quod retinet catholico ardore festinos? quid est, quod delinquentis Acacii impedit volentes Christum videre persona? quid est, quod a suo liberi alieno gravantur errore? haec cum venerabilis papae latius fuerint expedita rescriptis, pro nostrae tamen obsequio credidimus devotionis indenda, ne non rogasse putaremur recondendo responsum, quod accepimus deprecantes. proinde, piissime imperator, haec suo nomine senatus serenitatis tuae clementia provocatus adiunxit, ut animo quam benigno in utraque re publica concordanda fuisti, tam esse pio in ecclesiae redintegrandae unitate noscaris. nam ut pax illa regnorum tantum scitur prodesse subiectis, sic haec religionis cum populo suo proficit imperanti. etenim quis non haeresum perfidarum sequaces plus quam ipsos deliquisse putet auctores? quis non post patibulum crucis dividentes iterum Christi membra condemnet? utinam haec iam vobis regnantibus causa coepisset, ut facilius mala reprimerentur nascentia quam provecta! nam quis ambigat non potuisse eius existere, cuius corrigi temporibus videret errorem? <[Sep.-Dec.516]>

518 Iustinus

Coleman-Norton no.549

Günther 1895, pp.587-588 (Collectio Avellana, no.143); Mansi 1758f, v.8 (492-536) col.435; Migne 1844f, v.63, cols.427-428

Iustinus Augustus Hormisdæ Papae.

Iohannes vir beatissimus, huius regiae urbis antistes, et ceteri viri religiosi episcopi de diversis locis et civitatibus hic reperti nostram serenitatem docuerunt pro concordia veram et orthodoxam fidem colentium proque unitate venerabilium eius ecclesiarum litteras tuae sanctitati offerendas confecisse ac magnopere postularunt nostras etiam epistolares paginas super hoc ad eam emanare. quorum petitiones, utpote semper unitatis amatores constituti, libenter amplexi hos divinos apices ad tuam beatitudinem censuimus prorogandos, quibus susceptis desiderii supra dictorum reverentissimorum antistitum subvenire proque nobis et re publica, cuius gubernatio nostrae pietati caelitus credita est, supernam maiestatem suis orationibus placare dignetur.

Ut autem tuae sanctitati pacis et unitatis atque concordiae iura plenius patefiant, quosdam religiosissimos sacerdotes pacem amplectentes et desiderantes ad sacrissimum nostrum pervenire disponat comitatum. Ob hanc etenim causam Gratum v.s. sacri nostri consistorii comitem et magistrum scrinii memoriae direximus, cuius praeclaram opinionem multis antea notam habemus temporibus.

Data VII. Id. Septembr. Constantinopoli Magno v.c. cons. <7.Sep.518>

517 Anastasius

Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.424-425; Migne 1844f, v.63, cols.409-410.

Anastasius Augustus Hormisdæ papæ.

Etsi magnum aliquid taciturnitas iudicatur, tamen necessarium est admirantes dei misericordiam assidue frequentare sermonem. Et quia initium fidei, quam nos dominus et deus salvator Iesus Christus docuit, in remissione peccatorum præcellit, nulli habetur ignotum. Ipse enim per propriam passionem omnia Adam peccata mundavit: et hæc fuit negotiatio humilitatis ipsius, ut et præfatum et omnes fratres liberaret ex servitute peccati, voluntarie personam servi suscipiens. Nam beatus Paulus apostolus docuit nos scribens ad Romanos: Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, et in eos qui non peccaverunt; <Rom.5> ex quo est universitati quodammodo declaratum ex generali dispositione, sive mirabilius, specialia quæque exempla debere semel tam magnæ legis iussiones, et tam pia bonitate firmatæ, ut omnis doctrina, quam discipulis suis tradidit, in hoc firmamento consistit. Fugavit aegritudines, sive multifaria genera passionum: nodum peccati propria, sicut dictum est, passione resolvit; et agens, ad implenda similia discipulos factis et sermonibus instruebat. Verum, si sicut aliqui nituntur ostendere, certi ipsis apostolis tam piam doctrinam per inobedientiam implere dissimulant; ignoramus ubi magisterium misericordis domini et magni dei nobis possit occurrere. Nos autem non ea credimus ratione, ut immisericordes esse putemus, qui misericordiam didicerunt: sed postulationem nostram a præsentis tempore taciturnitate comprimimus, irrationabile iudicantes illis precum adhibere bonitatem, qui rogari se nolint, contumaciter respicientes: iniuriari enim et annullari sustinere possumus, iuberi non possumus.

Data V Idus Iulii Constantinopoli, Anastasio Augusto IV et Agapito viro clarissimo consulibus.
<11.Iul.517>

518 Iustinus

Günther 1895, pp.586 (Collectio Avellana, no.141); Mansi 1758f, v.8 (492-536) col.434; Migne 1844f, v.63, cols.426-427.

Iustinus Augustus Hormisdæ papæ.

Dei beneficia licet multis, maxime tamen summis pontificibus convenit indicare. proinde sanctitati vestrae per has sacras declaramus epistolas, quod primum quidem inseparabilis trinitatis favore, deinde amplissimorum procerum sacri nostri palatii et sanctissimi senatus nec non electione fortissimi exercitus ad imperium nos licet nolentes ac recusantes electos fuisse atque firmatos. precamur proinde, ut sanctis orationibus vestris divinæ potentiae supplicetis, quatenus initia nostri roborentur imperii. hoc enim et nos sperare et vos decet implere.

Data Kal. Aug. Constantinop. Magno v.c. cons. <1.Aug.518>

518 Iustinus

Coleman-Norton no.550

Günther 1895, pp.592-593 (Collectio Avellana, no.147); Mansi 1758f, v.8 (492-536) col.438; Migne 1844f, v.63, cols.430-431.

Exemplum epistolæ Iustiniani.

Desiderabile tempus, quod summis votis optavimus, divina clementia dolores generis humani respiciens largiri dignata est, quo omnes catholici et deo perfecte fideles maiestati eius se valeant commendare. idcirco has ad apostolatam vestram libera licentia iam mihi beneficio caelesti indulta direxi.

domnus etenim noster invictissimus imperator orthodoxam religionem semper ample<cte>ns ardentissima fide cupiensque sacrosanctas ecclesias ad concordiam revocare mox adeptus est caelesti iudicio infulas principales, sacerdotibus hic positus denunciavit, ut pro regulis apostolicis unirentur ecclesiae. et magna quidem pars fidei est composita deo auctore; de nomine tantummodo Acacii vestrae beatitudinis convenit ordiri consensum.

quam ob causam domnus noster serenissimus princeps Gratum virum sublimem, unanimum mihi amicum, cum paginis augustis ad sanctitatem tuam transmisit, ut modis omnibus dignetur Constantinopolim ad reliqua concordiae componenda venire. sed absque quadam dilatione

vestrum expectamus adventum, quem si qua tarditas, quod fieri non debet, forsitan retinuerit, interim vel sacerdotes idoneos destinare festinet, quia totus mundus par<tium> nostrarum conversus ad unitatem moras non patitur.

accelerate ergo, domini sanctissimi, ne vobis absentibus, quae debent praesentibus ordinari. scimus etenim litteras vestrae beatitudinis et antecessorum vestrorum ad Orientem directas, quid super hac eadem causa contineant. ut autem nihil praetermittatur, propter causam saepius memoratam ad invictissimum regem religionis quoque negotium filio vestro viro sublimes Grato est iniunctum favente domino nostro Iesu Christo. <Data: 7.Sep.518; Accepta: 20.Dec.518>

519 Iustinus

Coleman-Norton no.554

Günther 1895, pp.610-612 (Collectio Avellana, no.160); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.456-457; Migne 1844f, v.63, cols.448-449.

Victor Iustinus pius felix inclitus triumphator semper Augustus Hormisdæ sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo et patriarchae.

Scias effectum nobis, pater religiosissime, quod diu summis studiis quaerebatur; noveris patefactum et antequam advenerint, qui a vobis destinati sunt, quod Iohannes vir beatissimus antistes novae Romae nostrae una cum clero eius vobiscem sentiunt nullis variantes ambiguitatibus, nullis divisi discordiis; scias libellum <= Collectio Avellana no.159, Günther pp.607-610: Exemplum libelli Iohannis episcopi Constantinopolitani> ab eo subscriptum, quem offerendum iudicaveras sanctissimorum patrum concilio congruentem. omnes concurrunt alacri opere ad suscipienda vota tam vestrae quam Constantinopolitanae sedis, quos veritatis coruscus fulgor illuminat; omnes accelerant libentissime, quos oblectat via dilucida, sequuntur scita patrum sanctissima, leges probatissimas, et consiliis quorundam firmatis, qui rectum tenebant tramitem, aliorum correctis, qui vagabantur incerti, in eo res colligitur, ut unitatem individuae trinitatis ipsi quoque unitate colant mentium. negatum est inter divina mysteria, memoriam in posterum fieri pro tenore libelli, quem diximus, Acacii praevericitoris quondam regiae huius urbis episcopi nec non et aliorum sacerdotum, qui vel primi contra constituta venerunt apostolica vel successores erroris facti sunt nulla usque ad ultimum diem suum paenitentia correcti.

et quoniam omnes nostrae regiones admonendae sunt, ut exemplum imitentur civitatis regiae, destinanda ubique principalia praecepta duximus: tanto flagramus religionis officio, tanto affectamus studio pacem catholicae fidei pro remuneranda caelitus pace nostrae rei publicae, pro conciliando subiectis meis superno praesidio. quid enim gratius reperiri potest, quid iustius, quid illustrius, quam quos idem regnum continet eiusdemque fidei cultes irradiat, eos non diversa contendere sed collectis in eodem sensibus instituta venerari non humana mente lata sed divini prudentia spiritus?

oret igitur vestrae religionis sanctitas, ut quod pervigili studio pro concordia ecclesiarum catholicae fidei procuratur, divini muneris opitulatio iugi perpetuitate servari annuat.

Dat. X. Kal. Maias Constantinopoli. <22.Apr.519>

519 Iustinus

Günther 1895, pp.614 (Collectio Avellana, no.162); Mansi 1758f, v.8 (492-536) col.458; Migne 1844f, v.63, col.450.

Domino meo sanctissimo Hormisdæ primae archipontifici et papae urbis Romae Iustinianus comes salutem.

Venerandae sanctitatis vestrae praedicatio regularum, quae Christo deo pro ecclesiarum pace et pro plebis concordia iugiter supplicat, quicquid nunc per beatissimos suos sacerdotes annuit peragendum, propitia divinitate cuncta effectui sociata sunt, nulla prorsus quorumdam valente discordia. igitur vestris sacris orationibus ac praeceptionibus orthodoxorum fide muniti, supplices petimus uti pro sanctissimo Augusto nostro, totius fidei fautore, proque eius re publica, pro nobis quoque mandatorum vestrorum custodibus aeterno regi consueti impetrabiles preces

offerre dignemini, nosque vobis fideliter supplices vestris salutiferis rescriptionibus visitare.
<22.Apr.519>

519 Iustinus

Coleman-Norton no.551

Günther 1895, pp.644-645 (Collectio Avellana, no.187); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.482-483; Migne 1844f, v.63, cols.475-476.

Exemplum epistolae Iustiniani

Domino sancto meritis beatissimo et apostolico domino patri papae Hormisdæ Iustinianus.
Propitia divinitate, quae semper ecclesiam catholicam per incrementa fidei instituit, unitas sanctorum ecclesiarum pro doctrina et auctoritate apostolatus vestri provenit.
sed quoniam comperimus quosdam nomine monachos, quibus magis discordia studio est quam caritas et pax dei, cupientes quaedam perturbare ad angelum vestrum hinc descendentes iter arripuisse: quos beatitudo vestra praesentibus scriptis causam livoris eorum cognoscens ita, ut merentur, suscipere et a se longe pellere dignetur, quoniam vaniloquia ipsorum festinantium novitates introducere in ecclesia, quod neque quattuor synodi venerabiles neque sancti papae Leonis epistolae continere noscuntur, in omni loco turbas excitare videntur:
quam etiam ob rem et a viris reverentissimis episcopis et diaconibus directis ab apostulatu vestro ad nos angelus vester destinare dignetur et ipsos digna correctione percussos, ut superius dictum est, pellere iubeat. ergo hoc petimus, ut, sicut supra dictum est, ipsas huiusmodi litteras per eundem portitorem ad nos dirigere magnopere praecipiat. sunt autem nomina eorum Achilles, Iohannes, Leontius et Mauritius.
haec nostra est maxima sollicitudinis causa, ne unitas, quam vester labor oratioque perfecit, per inquietos homines dissipetur, sperantes in deo, quia, si quid est quod adhuc a totius orbis pace dissentiat; hoc quoque orationibus vestris apostolicae sedis communioni societur.
praesumentes autem de beatitudinis vestrae benivolentia paternam dilectionem nimium petimus, quatenus reliquiis sanctorum apostolorum tam nos quam basilicam eorum hic in domo nostra sub nomine praedictorum venerabilium constructam illustrare et illuminare large dignemini, cognoscentes, quod nullum nobis maius nec munus nec beneficium praestare potestis, domine beatissime pater, quam si hanc nostram petitionem adimpleveritis.
subito autem iter arripiente praedicto agente in rebus etiam duo pallios holosericos ad ornamentum altaris sanctorum apostolorum direximus, quos suscipientes efficacissimis precibus vestris nostri iubete iugiter memoriam facere. <[Iun.519]>

519 Iustinus

Mansi 1758f, v.8 (492-536) col.459.

Exemplum epistolae Iulianae Aniciae ad Hormisdam.

Domino beatissimo patri Hormisdæ Iuliana Anicia.
Precibus vestrae beatitudinis, adventu legatorum principalis sedis apostolicae, elisis erroribus haereticorum, in unitatem fidei catholicae convenimus congregati simul ad ubera materna ecclesiae in die sanctae resurrectionis. Quapropter stylo venerationis alloquentes sanctitatem vestram, admonemus, ut intimetis destinatis a vobis reverendissimis viris, nullo modo abscedere, antequam, sicut praevideritis, ut oportet, firmentur ea quae bene disposita sunt ab eis; ut amputatis omnibus reliquiis transacti erroris, impendiis vestrae beatitudinis roborata unitas ad effectum perpetuum deducatur.

519 Iustinus

Coleman-Norton no.552

Günther 1895, pp.648-649 (Collectio Avellana, no.191); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.483-484; Migne 1844f, v.63, col.476.

Exemplum epistolae Iustiniani per fratrem Proemptoris.

Quicquid est cautius, quicquid firmitus, ut pro sancta fide et concordia sacrarum ecclesiarum geratur, optamus.

unde ad beatitudinem vestram et frater noster gloriosissimus Vitalianus per Paulinum v.s. defensorem vestrae ecclesiae rescripsit et nos per eundem significare curavimus illa debere beatitudinem vestram perficere, quae pacem et concordiam sanctis concedant ecclesiis. subinde tamen, qui certius responsum ad sanctitatem vestram referat, cum litteris piissimi nostri imperatoris destinavimus; nam quanta quaestio in partibus nostris orta est, potest etiam antefatus vir religiosus defensor sanctitatem vestram instruere.

unde petimus ut, si est possibile, celerrimo dato responso et satisfactis religiosis monachis Iohannem et Leontium ad nos remittatis. nisi enim precibus et diligentia vestra ista quaestio soluta fuerit, veremur, ne non possit pax sanctarum ecclesiarum provenire. ergo cognoscentes, quia et merces et periculum istius rei vobis servatur, diligenter tractate et firmissimum responsum per antefatos religiosos monachos, si est possibile, antequam legatus noster ad beatitudinem vestram perveniat, nobis remittite; in hoc enim solo omnis pendet intentio. <[Iul.519]>

519 Iustinus

Coleman-Norton no.553

Günther 1895, pp.645-646 (Collectio Avellana, no.188); Mansi 1758f, v.8 (492-536) col.484; Migne 1844f, v.63, cols.476-477.

Exemplum epistolae Iustiniani.

Ut plenissima fidei perfectio doctrina beatitudinis vestrae nobis proveniat, iterum Eulogium virum strenuum agentem in rebus iuxta alias causas etiam hacpropter direximus, per quem valde petimus, ut per omnia responso apostolatus vestri circuminspecto et cautissimo in confessione catholicae fidei confirmetur. post semel enim divina misericordia donatam catholicae ecclesiae unitatem quidam asserunt Christum filium dei dominum nostrum pro nostra salute carne crucifixum unum de trinitate debere praedicari.

quod si suscipiendum sit, paterna provisione reverentia vestra cautissimo suo rescripto quid sequi quidue super hoc evitare debeamus nos certiorare dignetur; quoniam verba videntur facere dissensionem: nam sensus inter catholicos omnes unus esse probatur.

imponite igitur vobis semel susceptum laborem, sancte ac venerabilis pater, etiam in hoc decessores vestros sequentes, quorum memoriam. et amplectimini et consortio pontificatus ornatis, et de hac intentione liberos nos properate reddere et securos. hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum. quia vero dictum est Scythicos monachos hac ratione ad sedem vestram accessisse, pro traditione patrum et ordine regularum praebito eis responso nihil formidantes ad nos cum litteris vestris iubete remittere; quarum etiam exemplaria consignata praedicto viro strenuo Eulogio dari praecipite. haec enim omnia ideo petimus vos disponere cautius, ut ne locus mendacio vel insidiis detur, quoniam summo cum desiderio fidem catholicam amplectentes vestra doctrina unitatem universo orbi petimus condonari. <Oct.519>

519 Iustinus

Günther 1895, pp.670-671 (Collectio Avellana, no.212); Mansi 1758f, v.8 (492-536) col.474.

Iustinus Augustus Hormisdæ papae.

Illustrem virum reverentissimum episcopum grato suscepimus animo non pro honore tantum, qui debetur sacerdotibus, verum etiam pro affectu vestrae sanctitudinis, nam quicumque tuo comprobatus iudicio fuerit, est apud nos etiam iudicatus probatissimus. de opera tamen et favore, qui sacrosanctis inferendus est eorum ecclesiis, tunc demum oportunius statuetur, cum legati, quos nuper ad regem magnificum Transamundum destinasse noscimus, reversi propitia divinitate responsum nobis retulerint. vestra autem beatitudo supernum nobis praesidium indefessis orationibus postulare dignetur.

Data XV. Kal. Decemb. Constantinopoli domino Iustino perpetuo Augusto <cons.>
<17.Nov.519>

Accepta XI. Kal. Iun. Rusticio cons. <22.May.520>

520 Iustinus

Coleman-Norton no.556

Günther 1895, pp.636-637 (Collectio Avellana, no.181); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.487-488; Migne 1844f, v.63, cols.479-480.

Iustinus Augustus Hormisdæ papæ.

Quanto flagramus studio pro colligendis concordia sacratissimis ecclesiis iam dudum planum fecisse dinoscimur, qui et ab ineunte nostro imperio sanctitudinem vestram admonendam duximus, quo certos dirigeret, ut interventu eorum remedium aliquod his rebus inveniri possit, et, antequam advenerint qui destinati sunt, cuncta præparavimus, quo facilius transigerentur, quæ per hanc florentissimam urbem disponenda fuerant.

verum quoniam preces nostro numi<ni> porrectæ sunt ex diversis Eois provinciis certa quaedam disserentibus pro fide catholica secretaque suæ mentis declarantibus, quæ apud se pro individua trinitate constituta testantur quæque firmiter sese retenturos ostendunt, hisque relectis Dioscorus aliqua asseruit non convenienti ordine inserta fuisse: merito duximus aperienda vobis ea, quæ sumus edocti.

non multo itaque post a nobis quidam destinabitur ad certiore faciendam beatitudinem tuam super omnibus et insinuandas vobis supplicationes, quæ nobis oblatae sunt, et responsum pietatis vestrae referendum, quo possint resecuri tandem dubitationes incongruæ.

securi igitur de nostro consilio sollicitis orationibus placare nobis divinitatem summam dignemini.

Data XIII. Kal. Febr. Constantinopoli Vitaliano et Rusticio cons. <19.Ian.520>

520 Iustinus

Coleman-Norton no.557

Günther 1895, pp.650-651 (Collectio Avellana, no.193); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.493-494; Migne 1844f, v.63, cols.485-486.

Iustinus Augustus Hormisdæ papæ.

Cum in animo nobis sit, pater religiosissime, ut in omni re nostra inter se concurrant concilia, tum et in Helia viro reverentissimo episcopo id constituendum credimus legatis admonentibus vestris, quod inter varias utrasque rationes expeditius esse perspectum est.

nam et in præsentis pontificem Caesariensium urbis favor tutatur omnium, quem ob instituta pulcherrima non solum incolæ validissime retinendum arbitrantur sed prope cunctus Oriens sine dubio veneratur, et qui prior in eodem fuit sacerdotio iniuria se esse remotum queritur. visum est itaque convenire, ut nec faciamus impetum contra infinitarum vota multitudinum aut homo integritate nobilis sede deiciatur, qua se dignum exhibet, nec anteriori spem prorsus adimi patiamur repetendi locum denuo, quo se spoliatum sine causa confirmat. sed in re dubia temperatius versemur, ita ut interim quidem hic idem Helias vir reverentissimus episcopus in quiete permaneat, verum postquam successor eius vitam deposuerit, tum demum ad sedem revertatur qua destitit, adhibendis prius omnibus, quæ ad impetrandam reditionis licentiam sacratissimarum regularum postulant definita, interponendo etiam consensu tam tuæ sedis apostolicæ quam florentissimæ huius urbis nec non aliarum, quarum hoc interest.

de Thoma et Nicostrato viris religiosissimis episcopis omnia mancipabuntur effectui, postquam ceteræ etiam vobis copulatae fuerint ad unitatem venerabiles ecclesiae, quæ præcedente superno præsidio statuenda duxerimus pro sacratissimarum regularum itidem ordine.

quoniam itaque vestrae quoque sanctitudini deliberationem nostram oportuerat declarari, ut ex hac etiam patefiat desiderium, in quo omnem operam intendimus ad compescendas atque temperandas controversias et optatam inter omnes concordiam prorogandam, præsentibus quoque

litteras duximus destinandas, monentes praecipue, ut pro incolomi statu rei publicae numen supernum vestris exoretur precibus.

Data VII. Idus Iunias Constantinopoli Vitaliano et Rusticio cons. <7.Iun.520>

520 Iustinus

Coleman-Norton no.558

Günther 1895, pp.649-650 (Collectio Avellana, no.192); Mansi 1758f, v.8 (492-536) col.494; Migne 1844f, v.63, cols.486-487.

Iustinus Augustus Hormisdæ papæ, nostros per legatos id est Germanum, Iohannem episcopos, Felicem, Dioscorum diaconos, et Blandum presbyterum.

Summa quidem habenda vobis est gratia, quod alacrem operam non dubitatis impendere ad colligendas adunandasque venerabiles ecclesias, verum in ea praelucet maxime perfecta. sollertia, quod homines adoptatis, qui voto benivolo tuæ sanctitudinis sincero ac integro possint animo deservire. Germanus siquidem reverentissimus episcopus nec non Felix et Dioscorus et Blandus viri religiosissimi tanta semet præbuerunt adtentos industria ac in tanta sapientia versati sunt, ut, quantum ad officium eorum pertinet, transactis in plenum et elaboratis omnibus nihil altercationis superesset ulterius.

sed cum ea conditione sit mortalis fragilitas, ut remissius circa se agi desideret et interrogationibus suis planum præberi responsum, maxime cum aliqua causa in immensam hominum multitudinem fuerit devoluta, factum est, ut in hac quidem urbe florentissima, quicquid ordinatum est de causa religionis deque unitate celebranda cum apostolica sede sub temporibus Iohannis religiosissimæ memoriæ, cum in sacerdotio regiae huius esset urbis, id fauente deo servetur immobile, quin et in aliis compluribus civitatibus probata sit vestra ordinatio atque suscepta, ceteræ vero clementiore quodam indigeant moderamine in nominibus antistitem, non eorum qui specialiter enumerati sunt in epistola, quam sanctitudo tua nobis destinasse noscitur, sed aliorum quorum memoriæ maximæ civitates diligunt, in quibus floruisse noscuntur superstites.

quam ob rem legatis quidem tuæ sanctitudinis nulla fuit licentia mandati tenorem egrediendi, cum quo directi sunt; omnis autem finis negotii vestro iam tantum pendet arbitrio, ut solos pacem concludere debeat, qui prima rei commovit exordia.

sed ea quidem nec non quaedam commemorabuntur apertius per legatum nostrum, qui paulo post destinabitur;

in præsentem vero redeuntibus viris religiosissimis tam appellandam vestram reverentiam credidimus quam commonendam, ut suis orationibus pro nostro utatur imperio proque incolomi statu rei publicæ.

Data VII. Idus Iul. Constantinopoli Vitaliano et Rusticio cons. <9.Iul.520>

520 Iustinus

Günther 1895, p.652 (Collectio Avellana, no.194); Mansi 1758f, v.8 (492-536) col.495; Migne 1844f, v.63, cols.487.

Eufimia Augusta <=Aelia Euphemia> Hormisdæ papæ.

Beatitudinis tuæ litteras grato iocundoque suscepimus animo. quem etenim non solum apostolicæ sedis auctoritas celebrat sed vitæ quoque commendat integritas et studiosa rectæ fidei sollertia, huius verba quis non libentissimis suscipiet auribus? igitur poscimus ac monemus, ut orationibus vestris numquam excedat nomen meum ac præcipue serenissimi coniugis nostri sed tam utrique nostrum quam rei publicæ supernum precibus vestris placetur præsidium. <9.Iul.520>

520 Iustinus

Günther 1895, p.657-6 (Collectio Avellana, no.198).

Exemplum epistolæ Iulianæ Aniciæ.

Domino beatissimo atque apostolicae sedis probatissimo pontifici Hormisdæ papæ patri Iuliana Anicia.

Quæ prima sunt, tuæ beatitudini salutationis obsequium persolvimus, optantes ut hanc paginam tuis venerandis optutibus divinitas faciat recenseri et pro suæ ecclesiae vigore augmenta salutaria vestrae vitæ suffragare dignetur, quatenus te pervigili poterit contra adversos et rabidos canes status ecclesiae vindicari. etenim, venerabilis pater, quod de nostræ fidei integritate curam geris, vicariis gloriosi Petri apostoli ista conveniunt, cui dominus pascendarum ovium iniunxit officium. cognoscat ergo tua pro nobis sancta sollicitudo nos firmiter tenere rectæ fidei firmitatem immobilem, pro qua, ne eius violaremus sanctimoniam, hactenus repugnâvimus. quod vero tuus apostolatus pro tantæ pietatis causa curam ferre præcepit, in quantum potuimus, pro nostris viribus non desivimus spiritu lenitatis adversos admonere dei nobis gratia cooperante.

Another version in Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.495-496

Domino beatissimo atque apostolicae sedis probatissimo pontifici Hormisdæ papæ patri Iuliana Anicia.

Quæ prima sunt tuæ beatitudinis salutationis obsequia persolvimus, optantes ut hanc paginam tuis venerandis optutibus divinitas faciat recenseri, et pro suæ ecclesiae vigore augmenta salutaria vestrae vitæ suffragare dignetur, quatenus te pervigili possit contra adversos et rabidos canes status ecclesiae vindicari. Etenim, venerabilis pater, quod de nostræ fidei integritate curam geris, vicariis gloriosi Petri apostoli ista conveniunt, cui dominus pascendarum ovium iniunxit officium. Cognoscat ergo tua pro nobis sancta sollicitudo, nos firmiter tenere rectæ fidei firmitatem immobilem: pro qua ne eius violaretur sanctimonia hactenus repugnâvimus. Quod vero tuus apostolatus pro tantæ pietatis causa curam ferre præcepit, in quantum potuimus, pro nostris viribus non desivimus spiritu lenitatis adversos admonere, et dei nobis gratia cooperante....<deest reliquum>

520 Iustinus

Coleman-Norton no.559 Price v.2 pp.97-99

Mansi 1758f, v.9 (536-590) cols.364-365 (document referred to in 553 at the Second Council of Constantinople).

Item ex alia charta ita recitatum est. <Iustinus A. Hypatio magistro militum per orientem>

Lecta sunt nobis gesta confecta apud Antiochenae civitatis defensorem, quibus inferebantur testimonia militum significantium ut compendiose dicamus quod priusquam Sergius reverendissimus Cyrestenam civitatem accederet, quidam, id est, Andronicus presbyter et defensor, et Georgius diaconus, accipientes imaginem Theodoriti, qui undique inculpatur propter fidei errorem, in currum eam imposuerunt, et in Cyrestenam civitatem introduxerunt, psallentes et ostendentes, quod eiusdem illi sectae sunt. Sergius autem postea cum civitatem accepisset, et collectionem celebravit ipsius Theodoriti, et Diodori, et Theodori, nec non et Nestorii cuiusdam, quem martyrem esse dixit, cum provincia nullum habeat martyrium huic appellationi conveniens. Evidenter igitur mirati sumus, primo quidem si latuerunt tuam eminentiam talia gesta in civitate confecta. Deinde si cum cognovisses, quod factum est, non sine dilatione quaestionem fecisti negotii, maxime cum degere Sergius diceretur, et cum Paulo reverendissimo esse.

Verum etiam lecta sunt nobis paulo post gesta confecta apud Cyrestenae civitatis defensorem, quæ reverendissimi responsales Sergii reverendissimi dixerunt, multorum voces continentia, quod nulla unquam nec prædicata est, nec facta est collectio in Nestorii cuiusdam nomine. Super hæc autem gesta, et preces audivimus tam ipsius Sergii, quam reliquorum episcoporum Euphratensis provinciae qui repellunt ubique Nestorii nomen, et declinare quidem eius sectam confitentur, consentire autem sanctis quatuor conciliis.

Sancimus igitur nihil subtilitatis vel studii eminentiam tuam relinquere, sed convocare quidem sine dilatione Cyrestenae civitatis episcopum ibi degentem, sicut audivimus, trahere autem ad se milites etiam, qui testimonia in gestis Antiochiaë confectis præstitisse inveniuntur de numero tertio et Stablisianorum, nec non etiam Andronicum et Georgium; qui ea, quæ de imagine dicta sunt fecisse dicuntur, et singula cum subtilitate requirere, hoc est, quod dicitur de imagine,

factum est, et si psalmum, cuius mentio gestis Antiochiae confectis inserta est psallentes ad imaginis honorem praecedebant; et si Sergius reverendissimus cum haec post Antiochiae: confectis inserta est, psallentes ad imaginis honorem ea cognovisset; et clericos admisit; et divinis eis communicavit mysteriis; et si collectionem Theodoriti et Theodori, et Diodori praedicari fecit, aut celebrari concessit, et si hoc idem factum est et in Nestorii nomine: et omnem circumire viam tua magnitudo festinet, ut nihil subtilitatis possit latere.

Ne autem eminentia tua nostram tantummodo timeret indignationem, sed etiam dei iram., non piget hos et iuramentum ei imponere in nomine domini et salvatoris Christi, dei nostri, ad quem talia pertinent, ut ipsam veritatem undique requiras: et si quidem inveniantur milites per omnia falsa dixisse, et neque pro imagine, neque pro collectione vera dixisse, non tantum ea quae in Nestorium referuntur, sed etiam illa quae in Theodoritum et Theodorum et Diodorum, mox fortissimo numero eiiciantur, in quo militare noscuntur, et omnibus tormentis eorum corpora crucientur. Si autem veritatem in suis depositionibus dixerunt, sive pro imagine, sive pro collectione vel Nestorii vel aliorum trium, de omnibus nobis suggere, ut cognoscere possimus eos qui in veram et immaculatam, quam et nos colimus fidem peccaverunt.

Ne quid autem ex his quae nobis lecta sunt: tuam magnitudinem lateat, iussimus eadem gesta, quae Cyri confecta sunt, et ad nos relata, nec non rescripta eorum quae Antiochiae confecta sunt, tibi transmitti, ut post confecta omnia quae iussimus, iterum nobis remittantur ipsa quae in Cyro confecta sunt, Pro hac etenim causa destinavimus Thomam devotissimum, agentem in rebus, et subadiuvam.

Legi.

Datum VII. Idus Augustii, Constantinopoli, Rustico viro clarissimo consule. <7.Aug.520>

520 Iustinus

Günther 1895, pp.658-659 (Collectio Avellana, no.199); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.506-507; Migne 1844f, v.63, col.499.

Exemplum sacrae Iustini augusti.

Iustinus Augustus Hormisdæ Papae.

Dum beatissimum Germanum episcopum vel eos, qui cum eo a vobis fuerant destinati, de hac dimitteremus regia civitate, huiusmodi illis mandata tradidimus, quod capitula, quae ad perfectam unitatem ecclesiarum pertinebant, apostolatu vestro per reverentissimum Iohannem episcopum sequenter manifesta faceremus. Quae tamen ipsis hic praesentibus fuerant declarata. Sed evenit praefatum Iohannem antistitem longa aegritudine detineri. Ne qua igitur vestram reverentiam ingrediatur adversa sententia quasi nobis promissa nostra desidia quadam ultronea minus ad effectum perducentibus, necessarium esse perspeximus dilationis causam vobis exponere per Eulogium v.s. tribunum et notarium, quem ad praecelsum regem Theodoricum super negotiis quibusdam transmisimus, hoc quoque adicientes quod, dum propitia domini et dei nostri maiestas eundem virum religiosissimum Iohannem pristinae voluerit reddere sanitati, sicut semel promiseramus, statim illum ad tuam sanctitatem transmittimus. Superest, ut sanctitudo tua divinum nobis praesidium orationibus suis dignetur acquirere.

Data pridie Kal. Septemb. Constantinopoli. <31.Aug.520>

Accepta Romae Kal. Octob. Rusticio v.c. cons. <1.Oct.520>

520 Iustinus

Coleman-Norton no.560

Günther 1895, pp.701-703 (Collectio Avellana, no.232); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.509-510; Migne 1844f, v.63, cols.501-503.

Iustinus Augustus Hormisdæ Papae.

Quo fuimus semper et quo sumus studio pro conciliandis sententiis catholicam fidem colentium, ut eodem, animo cuncti venerentur lumen individuum trinitatis, palam fecisse dinoscimur nunc legatum ad vestram beatitudinem ultro ob hoc ipsum dirigentes Gratum v.s. magistrum scrinii,

quo remedium tandem reperiatur discordiis varia certantium, nunc prono libentique suscipientes affectu viros religiosissimos, quos interventores unitatis vestra series apostolica credidit destinandos. Profecto etenim tamquam ipsam pacem et iucundis eos oculis aspeximus et extensis manibus duximus amplectendos; quin etiam omni intentione ordinavimus, ut venerabilis ecclesia Constantinopolitana nec non complures aliae vota suscipiant vestra non solum in ceteris sed in auferendis etiam nominibus ex sacris diptychis, quae removenda maxime postulastis.

Verum nonnullae fuerunt urbes et ecclesiae tam Ponticae quam Asianae ac praecipue Orientales, quarum clerici vel populi omnibus pertemptati minis atque persuasionibus tamen nequaquam flexi sunt, ut tollant antistitum et repellant nomina, quorum apud eos opinio floruit, sed morte vitam duriolem aestimant, si mortuos condemnaverint, quorum gloriabantur vita superstitum. Quid igitur faciamus huiusmodi pertinaciae, quae nec dictum audiens existit et tormenta in tantum despicit, ut amplum sibi ac festivum iudicet, si corpore prius quam religioso desistat consilio? Nobis quidem videtur opus esse mollius agendi et clementius. Quae si non in tua sanctitudine, iam nec in alio poterunt inveniri. Nam neque sanguinis et suppliciorum cupidi, quod dictu etiam grave est, libellum suscepimus neque ut parvo discrimine remaneant imperfecta concordiae desideria, sed ad prorogandam quo possumus ordine coniunctionem membrorum ecclesiae.

Utrum itaque praestantius erit minorum gratia in totem esse nobis absectas tantas multitudines an concessis exiguis et remissis maiora et omni ratione quaerenda corrigi, ut, quae non licuit per omnia, saltem ex necessariis partibus allegantur? Veniam itaque nominum postulamus, non Acacii, non utriusque Petri, non Dioscori vel Timothei, quorum vocabula ad nos datae sanctitatis tuae epistolae continebant, sed quos in aliis celebravit civitatibus episcopalis reverentia et hoc exceptis urbibus, ubi vestrae beatitudinis libellus iam in plenum admissus est, nisi hanc quoque partem benivolentia statuerit vestra mitius corrigendam. Verum nec iudicio res caret sedis apostolicae, ut non magis venia dicenda sit quam deliberata iam ac perspecta definitio: Anastasius siquidem religiosissimae memoriae, vestrae culmen ecclesiae, palam aperteque constituerit, cum ob hoc idem scriberet negotium decessori nostro, satis esse pacem affectantibus, si nomen tantum reticeatur Acacii. Ergo priora vestrae sedis constituta sequitur, qui non omnes memorias mortuorum iudicat contemnendas, ut indignum habeatur et incongruum, si non placidior omnibus non solum defunctis sed etiam superstitibus vestra divulgatur in omni fine terrarum lenitas. Et hoc quidem non dubitaverimus ita gratiosum vobis futurum, ut pacifico statim responso laetior mundus reddatur.

Retinet autem vestra sanctitas, quod dudum scripsimus ex Oriente supplicationes nobis esse destinatas voluntatem ipsorum continentes et arbitrium, in quo sese duraturos ostendunt firmiter et quo nulla ratione desistendum aestimant. Hanc itaque cartulam secundum nostra promissa per Iohannem virum reverentissimum episcopum dirigendam vobis in praesenti merito credidimus, ut a vestra sede etiam tenor eius admissus ad colligendas proficiat et adunandas ubique venerabiles ecclesias et Hierosolymitanam praecipue, cui tantum omnes favorem impendunt quasi matri Christiani nominis, ut nemo audeat ab ea sese discernere. Consensum itaque proprium tuam sanctitudinem epistolari quoque pagina convenit declarare, ut cognito omnibus atque patefacto tenorem eiusdem cartulae a vobis etiam laudari et tenaciter custodiri laetior mundus existat.

Data V. Id. Septembr. Chalced. Rusticio cons. <9.Sep.520>

Accepta prid. Kal. Dec. cons. s(upra)s(scripto). <30.Nov.520>

520 Iustinus

Coleman-Norton no.562

Günther 1895, pp.655-656 (Collectio Avellana, no.196); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.503-504; Migne 1844f, v.63, cols.496-497.

Exemplum epistolae Iustiniani illustris.

Domino nostro Iesu Christo favente regnat in saeculo, qui sacra religione suum fundat imperium, quoniam bene gubernat humana, qui prius divina plac<a>verit. quod praesentibus evenisse temporibus gratulamur.

filius etenim vester clementissimus imperator aeternitatis beneficio scepra sortitus fidei causas arripuit explicandas et ad tuam sanctitatem missa legatione sedis apostolicae promeruimus sacerdotes, quorum adventu non mediocriter adolevit ecclesiarum concordia sacrosanctarum nobis instantibus, ut decebat. Acacii namque, quod discidium generabat, nomine stirpitis amputato pro tenore libellorum, quos direxistis, in hac urbe regia multisque civitatibus unitas optata provenit, quam summis inventam laboribus venerari convenit in perpetuum custodiri que necesse est nec quibuslibet argumentis retractari quispiam patietur, quae sempiterna maiestas rite composuit. sed quia prosperos cursus frequenter impedire festinat humani generis inimicus, pars Orientalium non exiliis nec ferro flammisque compelli potest, ut condemnet episcoporum nomina post Acacium defunctorum; quae difficultas generali concordiae moras innectit.

sanctitas itaque vestra caelitus inspirata rerum temporumque qualitatem consideret et condemnatis huius erroris auctoribus, id est Acacio Constantinopolitano, Petro ac Timotheo Eluro et Dioscoro Alexandrinis Petroque Antiocheno, finire dignetur inveteratum certamen de ceterorum nominibus quaestione sopita, ut redimatis plebem de sanguine, quam deus noster regendam commisit, ac non persecutionibus et cruore sed patientia sacerdotali populum domino nostro concilietis, ne, dum volumus animas lucrari, et corpora multorum perdamus et animas. errores etenim diuturnos lenitate clementiaque convenit emendari, praecipue quia vestrae beatitudinis praecessores saepissime voluerunt rei publicae nostrae antistites ad suam revocare communionem, si tantummodo taceretur Acacius ceterique praedicti. non est ergo grave, quod suasit vestra sedes, ut praestet.

illud etiam magis magisque deprecamur, ut tua sanctitas concepta gratia caelesti, quae praetendunt Orientales episcopi, tractare dignetur eorumque fidei competentem praebere consensum. nobis etenim videtur, quoniam filius dei vivi dominus noster Iesus Christus ex virgine Maria natus, quem praedicat summus apostolorum carne passum, recte dicitur unus in trinitate cum patre spirituque sancto regnare. sicut enim videtur ambiguum dicere simpliciter 'unum de trinitate' non praemisso nomine domini nostri Iesu Christi, sic eius personam in trinitate cum patris spiritusque sancti personis esse non dubitamus. sine Christi namque persona nec credi trinitas religiose potest nec adorari fideliter, quemadmodum sanctus Augustinus ait: an aliqua ex trinitate persona, et alio loco: solus in trinitate corpus accepit <Augustinus, de trinit. 2.16>, et iterum : unus trium <Augustinus, Enchirid. de fide. c.12>.

rogamus igitur reverentissime salutantes, ut futuri iudicii memores causam taliter ordinetis, ne quid dubitationis relinquatur in posterum, quatenus omni scrupulo discordiarum sublato pacis desideratae per orbem totum vincula renoventur et venerandarum floreat ecclesiarum concordia corporisque unius in proprium statum membra recolligantur. ille namque medicus iure laudatur, qui veteres aegritudines ita sanare deproperat, ut ex eis nova vulnera non nascantur.

specialiter ergo cognoscat vester apostolatus compositis eisdem duobus capitulis universos sacerdotes istius rei publicae libenter amplecti nostram communionem. <[Data: 9.Iul.529]>

Accepta XV. Kal. Octobr. Rusticio v.c. cons. <17.Sep.520>

520 Iustinus

Coleman-Norton no.563

Günther 1895, pp.659-660 (Collectio Avellana, no.200); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.515-516; Migne 1844f, v.63, cols.507-508.

Domino beatissimo atque apostolico patri Hormisdas papae urbis Romae Iustinianus.

Quanta reverentia vestram beatitudinem veneremur, multis epistolis, ex quo serenissimus imperator filius vester regnavit, cognoscitis.

in praesenti quoque debito pudore salutantes tuam sanctitatem postulamus enixius, ut assiduis precibus et frequentissimis orationibus pro concordia laboretis ecclesiarum venerandarum nobisque, sicut per legatos etiam vestros post omnia scripsimus, tam de sermone, quo vertitur

controversia, quam de nominibus episcoporum sub Acacio defunctorum per Eulogium v.s. tribunum et notarium dignetur apostolatus vester integrum indubitatumque destinare responsum, omnibus videlicet, quae praesentibus legatis vestris ordinata sunt, in perpetuo firmiter duraturis. vir namque religiosus Iohannes episcopus, qui venturus est Romam, detinetur aegritudine corporali.

nihil enim prohibet ante eius quoque adventum concordiam provenire sublata dubitatione religionis (et eum tamen mox dimittimus favente divinitate, quia iam melius habet), quoniam nec difficilia sunt, quae ceciderunt in ambiguitatem, nec expedit diutius causam vitae protrahi sempiternae, ne dilatis temporibus aliquid nascatur incertius.

aeternitatis igitur supernae tremendique iudicii non immemor sanctitas vestra, quae sibi commissa sunt, efficaciae tradi deproperet, ut intellegant cuncti recte vos apostolicae sedis esse primatum sortitos.

haec igitur, quae vobis scribuntur a filiis, affectu paterno iubete quantocius adimpleri. scitis namque, quam sit admirabilis gloria tantorum errores annorum vestri pontificatus tempore stirpitis aboleri.

<Data: 31.Aug.520; Accepta: 1.Oct.520>

520 Iustinus

Coleman-Norton no.561

Günther 1895, pp.715-716 (Collectio Avellana, no.235); Mansi 1758f, v.8 (492-536) col.516; Migne 1844f, v.63, cols.508-509.

Exemplum epistolae Iustiniani.

Domino viro beatissimo sanctoque patri Hormisdæ urbis Romæ pontifici Iustinianus.

Quantam venerationem religionis habeamus quamque solliciti semper fuerimus propter uniendas sanctas ecclesias, testis est quoque vestra beatitudo.

postquam regnavit etenim domnus noster inclitus imperator, per omnes ad Italiam venientes direximus litteras apostolatum tuum rogantes sicut decebat. nunc etiam, ne quid eorum, quae fieri convenit, praetermittatur, Iohannes vir reverentissimus antistes Heralicanus presbyter et Constantinus diaconus sacrosanctae ecclesiae huius inclitae civitatis destinati sunt ad urbem feliciter, ut super omnibus, quae scripsit filius vester serenissimus imperator, integrum responsum accipiant.

dignetur ergo sanctitas tua suscipere memoratos viros religiosissimos libenter et habitis orationibus placataque divinitate sic omnia debeat ordinare venerabiliter, ut nihil ultra remaneat in ambiguum.

nobis etenim videtur, quoniam filius dei vivi dominus noster Iesus Christus ex virgine Maria natus, quem praedicat summus apostolorum carne passum, recte dicitur unus in trinitate cum patre spirituque sancto regnare, maiestatisque eius personam in trinitate et ex trinitate non infideliter credimus.

de nominibus autem defunctorum episcoporum clementer et ut decet pacificum patrem disponite; quia vester quoque praecessor beatae recordationis ad memoriae principalis Anastasium scripsit, ut, si nomen Acacii tantummodo tolleretur, una nobis esset communio. non est igitur <grave, quod> suasit vestra sedes, ut praestet. imitari debetis etenim sanctissimum Leonem Romanum pontificem ac, sicut ille scripsit Leoni, ita et vos omnibus amputatis dubitationibus perfectas pacificasque paginas ad invictissimum principem filium vestrum rescribere ecclesiae, ut ante tribunal venturi iudicis participes eorum sitis, quorum sedem iure sacerdotali tenetis.

ostendat ergo tuus apostolatus, <quod merito> Petro successit apostolo, quoniam dominus a vobis utpote summis pastoribus exacturus est universorum salutem, qui poterunt esse salvi firmata concordia. nos etenim finitis capitulis, de quibus scripta suscepistis, ultra non patiemur a quoquam controversiam religionis in re publica nostra moveri nec vestram sanctitatem convenit audire superflua concertantes.

<Data: 9.Sep.520; Accepta: 30.Nov.520>

520 Iustinus

Coleman-Norton no.564

Günther 1895, pp.743 (Collectio Avellana, no.243); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.517-518; Migne 1844f, v.63, col.510.

Exemplum epistolae Iustiniani viri illustris.

Diligenter apostolatus vester cognoscit, quanto fidei calore filius vester serenissimus imperator nosque fuimus ab initio: numquam cessavimus agere, quae pertinebant ad firmamentum religionis divinae. pro qua re nuper etiam reverentissimos sacerdotes Romam direximus, ut integrum componeretur de capitulis, quibus ad ea dubietas vertebatur.

sed ignoramus, quae difficultas provenerit, ut minime sopirentur hactenus ea, quae videntur esse levissima.

salutantes ergo vestram reverentiam petimus, ut nulla praebeatur occasio, de<e q>ua quisquam possit ambigere, sed habentes prae oculis iudicium maiestatis supernae modis omnibus festinare dignamini. <after 9.Sep.520>

521 Iustinus

Günther 1895, pp.740-741 (Collectio Avellana, no.241); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.523-524; Migne 1844f, v.63, cols.522-523.

Iustinus Augustus Hormisdas papae.

Ut quod in Paulo viro reverentissimo contigit apostolatu vestro patefiat, qui sacerdotio praeditus Antiochenae civitatis ita versatus esse dicitur in multis causis, quae religiosae alienae sunt episcopis, ut clericorum suorum prodicione, habitatorum etiam dictae civitatis, aliorum insuper frequentium incusetur, non tantum legatis vestrae sanctitudinis in hac regia positae urbe, ut ipsos quoque retinere censemus, verum post eorum recessum: qui malae conscientiae suae victus testimonio, territus insuper ne quaestione habita graviorem formam exitus rei posceret, recusatorios libellos obtulit, ut liceret ei secedere a suscepto, sicut dictum est, episcopatus officio. quoniam igitur cordi nobis et est et fuit, ut semper civitatum antistites in amore sint omnium communi, quorum regendas <accepisse> creduntur animas, Paulus autem vir reverentissimus ultro se suo, prout memoravimus, abdicavit sacerdotio, praesentem epistolam duximus dirigendam <ut> vobis aperiat et orationibus propriis caeleste nobis praesidium digneris acquirere.

Data Kal. Mai. Constantinopoli Iustiniano et Valerio vv.cc. cons. <1.May.521>

?525 ?Iustinus ?Iustinianus

Coleman-Norton no.566

Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: CIL 08, 23127 = ILTun 00268 = ILCV 01642 = CICBardo 00012 = AE 1996, 01703.

Iustini]ani edict[um 3] / [3] Firmanus f[3] / [3]i solum in ta[//]ientes et hoc non licere eo[3] / [3] monaste]rio(?) abbatem aut presb<y=U>teru[m 3] / [3] praese]ntes monachi abbatem sib[i eligant gratia aut] / [pecunariam propo]sita datione <<sancimus>> en[3] / [3]iore esse iniquitatibus alienum u[3] / [3] eccles]iarum(?) ministris adsolent fieri iu[bemus igitur 3] / [3]o in eodem sancti mart<y=U>ris Stephan[i monasterio(?) 3] / [3]erint delectati insuper vero ex pr[oprio(?) 3] / [3] m]onasterio constitutae vel ipsis [

?527 ?Iustinus ?Iustinianus

Coleman-Norton no.568

Epigraphik-Datenbank Clauss / Slaby: CIL 03, 13640 (p 2228, 2328,81) = ILCV 00023 = RIGCAM-01, 00314 = AE 1894, 00068

[Quando et alias indemnes] / [convenit ser]vari co[ll]at[ores nostros] / [maxime possessio]nes ad ve[ne]ra[bile ora]/[torium sa]ncti apostoli Io[h]an[nis per]/[tinentes ea] providentia [frui] opor[tet] / [propter ho]c memoratas precibus [pos]/[sessiones et] e[o]rum colonos vel adscrip/[ticios et c]uratores aut conductores li/[beros ab om]ni laesione permanere tam / [a transitu mi]lilitum vel violentiae prohibi[torum qu]am ab illis militibus qui sedes / [prope

ea]sdem possessiones habere nos/[cuntur] nullo eorum audente quo/[cumqu]e damno ex [qua]cumque occasi/[one eos] adfligere s[i prec]es verae sunt / [competent]is oraculi sa[cra sanc]tione decer/[nimus quam re]ctor provinciae [u]na cum // [officio suo modis omni]bus ob[se]r[v]are effi/[ciet severissima p]oenali condemn/[natione 3 mini]me defutura cont/[ra violatores nostror]um apicum omni obr/[eptione contra molie]ntium sive per sacrum / [apicem siver pe]r [v]icem postulation[is] / [aut] aliquo[libe]t modo facta iam vel / [f]utura cesan[t]e data Kalendas Iunias / Constantinopoli Mavortio vir[o] clarissi/mo consule VEMIIVI rescripto / recognovi // <1.Iun.527>
<followed by a Greek translation>

528 Iustinianus

Krueger 1954, p.1.

Codex Iustinianus

De novo Codice componendo.

Imperator Iustinianus Augustus ad senatum.

Haec, quae necessario corrigenda esse multis retro principibus visa sunt, interea tamen nullus eorum hoc ad effectum ducere ausus est, in praesenti rebus donare communibus auxilio dei omnipotentis censuimus et prolixitatem litium amputare, multitudine quidem constitutionum, quae tribus codicibus Gregoriano et Hermogeniano atque Theodosiano continebantur, illarum etiam, quae post eosdem codices a Theodosio divinae recordationis aliisque post eum retro principibus, a nostra etiam clementia positae sunt, resecanda, uno autem codice sub felici nostri nominis vocabulo componendo, in quem colligi tam memoratorum trium codicum quam novellas post eos positas constitutiones oportet.

Ideoque ad hoc maximum et ad ipsius rei publicae sustentationem respiciens opus efficiendum elegimus tanto fastigio laborum tantaeque sollicitudini sufficientes Iohannem virum excellentissimum ex quaestore sacri nostri palatii consularem atque patricium, Leontium virum sublimissimum magistrum militum ex praefecto praetorio consularem atque patricium, Phocam virum eminentissimum magistrum militum consularem atque patricium, Basilidem virum excellentissimum ex praefecto praetorio Orientis et patricium, Thomam virum gloriosissimum quaestorem sacri nostri palatii et ex consule, Tribonianum virum magnificum magisteria dignitate inter agentes decoratum, Constantinum virum illustrem comitem largitionum inter agentes et magistrum scrinii libellorum sacrarumque cognitionum, Theophilum virum clarissimum comitem sacri nostri consistorii et iuris in hac alma urbe doctorem, Dioscorum et Praesentinum disertissimos togatos fori amplissimi praetoriani.

Quibus specialiter permisimus resecatis tam supervacuis, quantum ad legum soliditatem pertinet, praefationibus quam similibus et contrariis, praeterquam si iuris aliqua divisione adiuventur, illis etiam, quae in desuetudinem abierunt, certas et brevi sermone conscriptas ex isdem tribus codicibus, novellis etiam constitutionibus leges componere et congruis subdere titulis, adicientes quidem et detrahentes, immo et mutant es verba earum, ubi hoc rei commoditas exigebat, colligentes vero in unam sanctionem, quae in variis constitutionibus dispersa sunt, et sensum earum clariorem efficientes, ita tamen, ut ordo temporum earundem constitutionum non solum ex adiectis diebus et consulibus, sed etiam ex ipsa compositione earum clarescat, primis quidem in primo loco, posterioribus vero in secundo ponendis et, si quae earum sine die et consule in veteribus codicibus vel in his, in quibus novellae constitutiones receptae sunt, inveniantur, ita his ponendis nullaque dubietate super generali earum robore ex hoc orienda, sicut et illas vim generalis constitutionis obtinere palam est, quae ad certas personas rescriptae vel per pragmaticam ab initio datae eidem novo codici propter utilitatem sanctionis inditae fuerint.

Haec igitur ad vestram notitiam ferre properavimus, ut sciatis, quanta nos diurna super rerum communium utilitate cura sollicitat, studentes certas et indubitatas et in unum codicem collectas

esse de cetero constitutiones, ut ex eo tantummodo nostro felici nomine nuncupando codice recitatio constitutionum in omnibus ad citiores litium decisiones fiat iudiciis.

Data id. Febr. Constantinopoli dn. Iustiniano pp. A. I. cons. <13.Feb.528>

529 Iustinianus

Blume <internet>, Scott v.12 <internet>

Krueger 1954, pp.2-3.

Codex Iustinianus.

De Iustiniano Codice confirmando.

Imperator Iustinianus pius felix inclitus victor ac triumphator semper Augustus Menae viro illustri praefecto praetorio II ex praefecto huius almae urbis ac patricio

Summa rei publicae tuitio de stirpe duarum rerum, armorum atque legum veniens vomque suam exinde muniens felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus omnibusque dominari tam praeteritis effecit temporibus quam deo propitio in aeternum efficiet istorum etenim alterum alterius auxilio semper viguit, et tam militaris res legibus in tuto collocata est, quam ipsae leges armorum praesidio servatae sunt. merito igitur ad prima communium rerum sustentationis semina nostram mentem nostrosque labores referentes militaria quidem agmina multiplicibus et omnem providentiam continentibus modis correximus, tam veteribus ad meliorem statum brevi tempore reductis, quam novis non solum exquisitis, sed etiam recta dispositione nostri numinis sine novis expensis publicis constitutis, legum vero praesidia primo servando positas, deinde novas ponendo firmissima subiectis effecimus.

Sed cum sit necessarium multitudinem constitutionum tam in tribus veteribus codicibus relatarum quam post eorum confectionem posterioribus temporibus adiectarum ad breviterem reducendo caliginem earum rectis iudicum definitionibus insidiantem penitus extirpare, ad hoc commune praestandum beneficium deo praesule prono animo nos dedidimus et electis viris gloriosissimis tam doctrina legum quam experientia rerum studioque pro re publica indefesso et laudabili proposito polientibus sub certis finibus magnum laborem commisimus, per quem tam trium veterum Gregoriani et Hermogeniani atque Theodosiani codicum constitutiones quam plurimas alias post eosdem codices a Theodosio divinae memoriae ceterisque post eum retro principibus, a nostra etiam clementia positas in unum codicem felici nostro vocabulo nuncupandum colligi praecepimus: tollendis quidem tam praefationibus nullum suffragium sanctioni conferentibus quam contrariis constitutionibus, quae posteriore promulgatione vacuatae sunt, similibus etiam praeter eas, quae eadem paene sanciendo divisionem iuris aliquam facere noscuntur, ex qua dividendo vetera novum aliquid nasci videtur, multis insuper aliis ad rectam huiusmodi codicis compositionem pertinentibus isdem prudentissimis viris a nostro numine mandatis.

Et nostro studio pro re publica instituto suum praesidium deus omnipotens adnuit ad istum enim laborem et tanti operis consummationem electi vir excellentissimus ex quaestore nostri palatii consularis ac patricius Iohannes et vir sublimissimus ex praefecto praetorio consularis atque patricius Leontius virque eminentissimus magister militum consularis atque patricius Phocas et vir excellentissimus ex praefecto praetorio per Orientem et patricius et nunc praefectus praetorio per Illyricum Basilides et vir gloriosissimus quaestor sacri nostri palatii et ex consule Thomas, immo et vir magnificus magisteria dignitate inter agentes decoratus Tribonianus virque illustris comes largitionum inter agentes et magister scrinii libellorum et sacrarum cognitionum Constantinus et vir illustris ex magistro et iuris doctor in hac alma urbe Theophilus, viri etiam disertissimi togati amplissimi fori tuae sublimitatis Dioscorus atque Praesentinus omnia, quae eis mandavimus, cum sedula et pervigili industria moderataque digestionem cum eundem novum Iustinianum codicem nobis obtulerunt ita compositum, ut et rebus profuturus esset communibus et nostro convenisset imperio.

Hunc igitur in aeternum valiturum iudicio tui culminis intimare prospeximus, ut sciant omnes am litigatores quam disertissimi advocati nullatenus eis licere de cetero constitutiones ex veteribus

tribus codicibus, quorum iam mentio facta est, vel ex iis, quae novellae constitutiones ad praesens tempus vocabantur, in cognitionalibus recitare certaminibus, sed solis eidem nostro codici insertis constitutionibus necesse esse uti, falsi crimini subdendis his, qui contra haec facere ausi fuerint, cum sufficiat earundem constitutionum nostri codicis recitatio adiectis etiam veterum iuris interpretatorum laboribus ad omnes dirimendas lites, nullaque dubitatione emergenda vel eo, quod sine die et consule quaedam positae sunt, vel quod ad certas personas rescriptae sunt, cum omnes generalium constitutionum vim obtinere procul dubio est, sed et si quae earundem constitutionum detractis vel additis vel permutatis certis verbis, quod et ipsum praefatis excellentissimis viris specialiter permisimus, compositae sunt, nulli concedimus ex libris veteris iuris interpretatorum aliter eas habentes recitare, sed solam iuris interpretatoris sententiam commendare, ut tunc teneat, cum minime adversetur eiusdem nostri codicis constitutionibus.

Si quae vero pragmaticae sanctiones, quae minime in eodem nostro codice receptae sunt, civitatibus forte vel corporibus vel scholis vel scriniis vel officiis vel alicui personae impertitae sunt, eas, si quidem aliquot privilegium speciali beneficio indulgent, omni modo ratae manere, sin vero pro certis capitulis factae sunt, tunc tenere, cum nulli nostri codicis adversantur constitutioni, praecipimus. sed et si qua regesta in tui culminis iudicio vel in aliis iudiciis civilibus vel militaribus vel quibuscumque titulis ad publicum pertinentibus posita sunt, ea etiam, prout communis rei commoditas exigit, firma esse censemus.

Illustris igitur et magnifica auctoritas tua pro innato sibi circa rem publicam nostrasque dispositiones explendas studio ad omnium populorum notitiam eundem codicem edictis ex more propositis pervenire faciat, ipso etiam textu codicis in singulas provincias nostro subiectas imperio cum nostra divina subnotatione mittendo, ut eo modo ad omnium notitiam eiusdem nostri codicis constitutiones valeant pervenire, ut extantibus festis diebus, id est ex die sexto decimo kalendas Maias praesentis septimae indictionis consulatu Decii viri clarissimi recitationes constitutionum ex eodem nostro codice fiant.

Data VII id. April. Constantinopoli Decio viro clarissimo consule. <7.Apr.529>

530 Iustinianus

Watson v.1 pp.xlvi-xlix, Blume <internet>

Mommsen-Krueger 1908, pp.8-9.

Quinquaginta libri digestorum seu pandectarum.

De conceptione digestorum.

Imperator Caesar Flavius Iustinianus pius felix inclutus victor ac triumphator semper Augustus Triboniano quaestori suo salutem.

Deo auctore [...]

Data octavo decimo calendae Ianuarias Constantinopoli Lampadio et Oreste viris clarissimis consulibus. <15.Dec.530>

repeated as Codex Iustinianus.1.17.1

533 Iustinianus

Blume <internet>, Scott v.12 <internet>

Günther 1895, pp.320-328 on pp.322-325 (Collectio Avellana, no.84); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.795-797; Migne 1844f, v.66, cols.14-17.

A version of this letter was copied into Cod.Iust.1.1.8 (25.Mar.534)

Victor Iustinianus, pius, felix, inclutus, triumphator, semper Augustus, Ioanni sanctissimo archiepiscopo almae urbis Romae et patriarchae.

Reddentes honorem apostolicae sedi et vestrae sanctitati, quod semper nobis in voto fuit et est, ut decet patrem, honorantes vestram beatitudinem omnia quae ad ecclesiarum statum pertinent, festinamus ad notitiam deferre vestrae sanctitatis: quoniam semper magnum nobis fuit studium, unitatem vestrae apostolicae sedis et statum sanctarum dei ecclesiarum custodiri; qui hactenus obtinet, et incommote permanet nulla intercedente contrarietate.

Itaque omnes sacerdotes universi Orientalis tractus et subicere et unire sedi vestrae sanctitatis properavimus.

In praesenti ergo quae hic commota sunt, quamvis manifesta et indubitata sint, et secundum apostolicae vestrae sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firme custodita et praedicata, necessarium duximus, ut ad notitiam vestrae sanctitatis perveniant.

Nec enim patimur quidquam quod ad ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestrae innotescat sanctitati, quae caput est omnium sanctarum ecclesiarum. Per omnia enim, ut dictum est, properamus honorem et auctoritatem crescere vestrae sedis.

Manifestum igitur facimus vestrae sanctitati, quod pauci quidam infideles et alieni sanctae dei catholicae atque apostolicae ecclesiae contradicere Iudaice atque apostatice ausi sunt adversus ea quae ab omnibus sacerdotibus secundum vestram doctrinam recte tenentur, et glorificantur, atque praedicantur; denegantes dominum nostrum Iesum Christum unigenitum filium dei et dominum nostrum incarnatum de sancto spiritu et sancta atque gloriosissima virgine dei genetrice Maria hominem factum atque crucifixum, unum esse sanctae et consubstantialis trinitatis, et coadorandum et conglorificandum patri et spiritui sancto, consubstantialem patri secundum divinitatem et consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eundem ipsum impassibilem deitate.

Recusantes enim dominum nostrum Iesum Christum unigenitum filium dei et dominum nostrum fateri unum esse sanctae et consubstantialis trinitatis videntur Nestorii malam sequi doctrinam, secundum gratiam dicentes unum filium dei, et alium dicentis dei verbum et alium Christum.

Omnes vero sacerdotes sanctae catholicae atque apostolicae ecclesiae et reverendissimi archimandritae sacrorum monasteriorum sequentes sanctitatem vestram et custodientes statum et unitatem sanctarum dei ecclesiarum, quam habent ad apostolica vestrae sanctitatis sede, nihil penitus immutantes de ecclesiastico statu, qui hactenus obtinuit atque obtinet, uno consensu confitentur et glorificant, praedicantes dominum nostrum Iesum Christum unigenitum filium et verbum dei et dominum nostrum ante saecula et sine tempore de patre natum, in ultimis diebus descendisse de caelis, et incarnatum ex spiritu sancto, et sancta atque gloriosa virgine dei genetrice Maria natum, et hominem factum et crucifixum, unum esse sanctae et consubstantialis trinitatis, et coadorandum et glorificandum patri et sancto spiritui.

Nec enim alium deum verbum et alium Christum cognoscimus, sed unum atque eundem ipsum consubstantialem patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eundem ipsum impassibilem deitate.

Ut enim est in divinitate perfectus, ita idem ipse et in humanitate perfectus est: in una enim subsistentia unitatem suscipimus et confitemur, quod dicunt Graeci *homousion*.

Et quoniam unigenitus filius et verbum dei, ante saecula et sine tempore de patre natus, idem ipse et in ultimis diebus descendens de caelis incarnatus ex sancto spiritu et ex sancta atque gloriosa semper virgine et dei genetrice Maria, homo factus dominus noster Iesus Christus proprie et vere deus est; ideo et sanctam et gloriosam virginem Mariam proprie et vere dei matrem esse dicimus; non quia deus verbum principium ex ipsa sumpserit, sed quia in ultimis diebus descendit de caelis, et ex ipsa incarnatus, et homo factus, natus est quem confitemur et credimus, sicut dictum est, consubstantialem esse patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem; eiusdem miracula et passiones, quas sponte carne sustinuit, agnoscentes. Suscipimus autem sancta quattuor concilia, id est trecentorum decem et octo sanctorum patrum qui in Nicaena urbe congregati sunt; et centum quinquaginta sanctorum patrum, qui in hac regia urbe convenerunt, et sanctorum patrum, qui in Epheso primo congregati sunt; et sanctorum patrum, qui in Chalcedone convenerunt, sicut vestra apostolica sedes docet atque praedicat.

Omnes ergo sacerdotes sequentes doctrinam apostolicae vestrae sedis ita credunt et confitentur et praedicant, unde properavimus hoc ad notitiam deferre vestrae sanctitatis per Hypatium et Demetrium, beatissimos episcopos, ut nec vestram sanctitatem lateant, quae a quibusdam paucis monachis male et Iudaice secundum Nestorii perfidiam denegata sunt.

Petimus ergo vestrum paternum affectum, ut vestris ad nos destinatis litteris, et ad sanctissimum episcopum huius almae urbis, et patriarcham fratrem vestrum, quoniam et ipse per eosdem scripsit ad vestram sanctitatem, festinans in omnibus sequi sedem apostolicam beatitudinis vestrae, manifestum nobis faciatis, quod omnes, qui praedicta recte confitentur suscipit vestra sanctitas, et eorum, qui Iudaice ausi sunt recte denegare fidem condemnat perfidiam: plus enim ita et circa vos omnium amor et vestrae sedis crescit auctoritas: et quae ad vos est unitas sanctarum ecclesiarum inturbata servabitur, quando per vos didicerint omnes beatissimi episcopi eorum, quae ad vos relata sunt sinceram vestrae sanctitatis doctrinam. Petimus autem vestram beatitudinem orare pro nobis et dei nobis acquirere providentiam.

Item subscriptio: Deitas te conservet per multos annos, sancte et religiosissime pater.

<Cod.Iust.1.1.8 adds> Data VIII. id. Iun. Constantinopoli dn. Iustiniano perpetuo Augusto III consule. <6.Iun.533>

530/533 Iustinianus

Migne 1844f, v.65, cols.45-48.

Exemplar precum eius <Bonifacii papae> et Iustiniani praedicti principis.

Prima salus est rectae fidei regulam custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare: et quia non potest domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. <Matth.16> Et haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica extra maculam semper est catholica servata religio. De qua spe et fide minime separari cupientes, et patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes qui contra sanctam Romanam et apostolicam ecclesiam superbiendo suas erigunt cervices; sequentes in omnibus apostolicam sedem, et praedicantes eius omnia constituta, et per omnia spero, ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra et vera Christianae religionis et perfecta soliditas, promittens sequestratos a communione ecclesiae catholicae, id est non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quod si in aliquo a professione mea deviare tentavero, his quos damnavi complicem mea sententia me esse profiteor. Hanc autem professionem meam manu mea subscripsi, et Bonifacio <?Hormisdas> sancto et venerabili papae urbis Romae direxi, damnans et antecessores et successores meos, et omnes qui sanctae Romanae et apostolicae ecclesiae privilegia cassare nituntur. Hinc enim supernae misericordiae documentum <Hormisdas> perdocetur, quando et mundani principes causas fidei cum reipublicae ordinatione coniugunt, et ecclesiarum praesules, quod ad dispensationem suam pertinet, officii memores exsequuntur. Talibus enim indigebat post discordiae procellas religio Christiana rectoribus, qui compressis provida dispensatione turbinibus, diu peregrinatam pacem depulsa tempestate reducerent, ut in futura post saecula ad propositi sui exempla tendentes, sibi ascribendum indubitanter ostenderent, quidquid domino placitum posteris pro sua imitatione fecissent. Benedicamus dominum, fratres carissimi, nostris hoc diebus fuisse concessum, et totis orationum et curarum viribus annitatur, ut quae dei ope bene coepta sunt, ipso adiuvante per omnia compleantur. Sperandum enim est ut ad compagem corporis sui reliqua, quae adhuc divisa sunt, membra festinent, et a prioribus minora non discrepent. Ad quod cum me delectio tua Christianae studio caritatis hortatur, debet quod invitat sequi, et quod amandum suadet, amplecti. Similem enim iam fidei curam gerentes, per religiosam patientiam, par etiam praemium de boni operis speramus affectu. Neque enim difficultatibus est cedendum. Non enim fatigatur asperis fides, nec ad coelorum ardua per proclive tenditur nec remunerationem citra laboris exercitium quid meretur. Unde ne facientes bona deficiamus, specialiter admonemur etiam testante Psalmista: Beati qui custodiunt iudicium, et faciunt iustitiam in omni tempore; <Psalm.105> quia non initium laboris remunerationem praemii consuevit invenire, sed terminus. Ergo studium sollicitudinis assumentes, quibus est una in communione societas et credulitas, quemadmodum de unitate sedis apostolicae et Constantinopolitanae ecclesiae pariter exsultamus in domino, ita de reliquorum

quoque (sicut affectione admones) reintegratione laetemur, et curemus praemium <?primum>, ut fidem integritatemque nostram immaculatam ab omni contagione servemus. Nosti enim, frater carissime ac sanctissime, quia ecclesiastica servant vincula concordiam, quae nos ab haereticorum tueatur insidiis, per quam etiam canonum custoditur integritas. His in robore suo omni circumspectione servatis, remedia sperantur. Habet enim ecclesiasticarum ordo regularum, et ipsius forma iustitiae, ut medicina rationabilis benigne et fideliter sperantibus non negetur, nec quisquam est ita ab humanitate discretus, quem non a rigore districtio inclinet cauta simplicitas. Sed ut caute hoc, caeterasque querelas aut errores alicuius aevi valeas expedire, dilectissime frater, personam meam te in hoc oportet induere, scientem in huiusmodi causas (sicut praedictum est) qui cavendum sit, et ita omnia praevidendum, ut a te non ambigas rationem dispensationis huius deo esse reddendam, ita tamen ut eos qui vobis fuerint communionem sociati, vel per vos sedi apostolicae vestra nobis scripta declarent, quibus etiam es quam continentiam libellorum obtulerint inseratur. Si quoque humilitatem debemus tenere in mente, ut inde ordinis nostri dignitatem servemus in honore, quatenus in nobis, nec humilitas timida, nec ratio sit superba.

Omnipotens deus, carissime, sua te protectione custodiat, atque ad caelestis remunerationem patriae multiplici animarum fructu perducatur.

Deus te incolumem custodiat, reverendissime frater. Amen.

Datum VIII kalendas Octobris Iustiniano tertium et Oreste <?Valentino II et Oreste, viris clarissimis> consulibus. <24.Sep.530/533>

533 Iustinianus

Moyle pp.1-2

Krueger 1908, p.1.

Quattuor libri institutionum seu elementorum.

In nomine Domini Nostri Ihesu Christi,

Imperator Caesar Flavius Iustinianus Alamannicus Gothicus Francicus Germanicus Anticus Alanicus Vandalicus Africanus pius felix inclitus victor ac triumphator semper Augustus Cupidae Legum Iuventuti

Imperatorem maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus et bellorum et pacis recte possit gubernari et princeps Romanus victor existat non solum in hostilibus proeliis, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellens, et fiat tam iuris religiosissimus quam victis hostibus triumphator.

Quorum utramque viam cum summis vigiliis et summa providentia adnuente deo perfecimus. et bellicos quidem sudores nostros barbaricae gentes sub iuga nostra deductae cognoscunt et tam Africa quam aliae innumerosae provinciae post tanta temporum spatia nostris victoriis a caelesti numine praestitis iterum ditioni Romanae nostroque additae imperio protestantur. omnes vero populi legibus iam a nobis vel promulgatis vel compositis reguntur.

Et cum sacratissimas constitutiones antea confusas in luculentam ereximus consonantiam, tunc nostram extendimus curam et ad immensa prudentiae veteris volumina et opus desperatum, quasi per medium profundum euntes, caelesti favore iam adimplevimus.

Cumque hoc deo propitio peractum est, Triboniano, viro magifico magistro et exquaestore sacri palatii nostri nec non Theophilo et Dorotheo viris illustribus antecessoribus, quorum omnium sollertiam et legum scientiam et circa nostras iussiones fidem iam ex multis rerum argumentis accepimus, convocatis specialiter mandavimus ut nostra auctoritate nostrisque suasionibus componant institutiones: ut liceat vobis prima legum cunabula non ab antiquis fabulis discere, sed ab imperiali splendore appetere, et tam aures quam animae vestrae nihil inutile nihilque perperam positum, sed quod in ipsis rerum optinet argumentis accipiant: et quod in priore tempore vix post quadriennium prioribus contingebat, ut tunc constitutiones imperatorias legerent, hoc vos a primordio ingrediamini digni tanto honore tantaque reperti felicitate, ut et initium vobis et finis legum eruditionis a voce principali procedat.

Igitur post libros quinquaginta digestorum seu pandectarum, in quos omne ius antiquum collatum est (quos per eundem virum excelsum Tribonianum nec non ceteros viros illustres et facundissimos confecimus), in hos quattuor libros easdem institutiones partiri iussimus, ut sint totius legitimae scientiae prima elementa.

Quibus breviter expositum est et quod antea optinebat et quod postea desuetudine inumbratum ab imperiali remedio illuminatum est.

Quas ex omnibus antiquorum institutionibus et praecipue ex commentariis Gaii nostri tam institutionum quam rerum cottidianarum aliisque multis commentariis compositas cum tres praedicti viri prudentes nobis optulerunt, et legimus et cognovimus et plenissimum nostrarum constitutionum robur eis accommodavimus.

Summa itaque ope et alacri studio has leges nostras accipite et vosmet ipsos sic eruditos ostendite, ut spes vos pulcherrima foveat toto legitimo opere perfecto posse etiam nostram rem publicam in partibus eius vobis credendis gubernare.

Data undecimo kalendas Decembres Constantinopoli domino nostro Iustiniano perpetuo Augusto tertium consule. <21.Nov.533>

533 Iustinianus

Mommsen-Krueger 1908, pp.10-12

Watson v.1 pp.1-liv

Quinquaginta libri digestorum seu pandectarum.

Imperator Caesar Flavius Iustinianus Alamannicus Gotthicus Francicus Germanicus Anticus Alanicus Vandalicus Africanus pius felix inclutus victor ac triumphator semper Augustus Theophilo, Dorotheo, Theodoro, Isidoro et Anatolio et Thalelao et Cratino viris illustribus antecessoribus et Salaminio viro disertissimo antecessori salutem.

Omnem rei publicae nostrae sanctionem iam esse purgatam et compositam tam in quattuor libris institutionum seu elementorum quam in quinquaginta digestorum seu pandectarum nec non in duodecim imperialium constitutionum quis amplius quam vos cognoscit? et omnia quidem, quae oportuerat et ab initio mandare et post omnium consummationem, factum libenter admittentes, definire, iam per nostras orationes tam Graeca lingua quam Romanorum, quas aeternas fieri optamus, explicita sunt. sed cum vos professores legitimae scientiae constitutos etiam hoc oportuerat scire, quid et in quibus temporibus tradi necessarium studiosis credimus, ut ex hoc optimi atque eruditissimi efficiantur: ideo praesentem divinam orationem ad vos praecipue faciendam existimamus, quatenus tam prudentia vestra quam ceteri antecessores, qui eandem artem in omne aevum exercere maluerint, nostris regulis observatis inclutam viam eruditionis legitimae possint ambulare. itaque dubio procul quidem est necesse esse institutiones in omnibus studiis primum sibi vindicare locum, utpote prima vestigia cuiusque scientiae mediocriter tradentes. ex libris autem quinquaginta nostrorum digestorum sex et triginta tantummodo sufficere tam ad vestram expositionem quam ad iuventutis eruditionem iudicamus. sed ordinem eorum et tramites per quos ambulandum est manifestare tempestivum nobis esse videtur, et vos in memoriam quidem eorum, quae antea tradebatis, redigere, ostendere autem novellae nostrae compositionis tam utilitatem quam tempora, ut nihil huiusmodi artis relinquatur incognitum.

Et antea quidem, quemadmodum et vestra scit prudentia, ex tanta legum multitudine, quae in librorum quidem duo milia, versuum autem tricies centena extendebatur, nihil aliud nisi sex tantummodo libros et ipsos confusos et iura utilia in se perraro habentes a voce magistra studiosi accipiebant, ceteris iam desuetis, iam omnibus inviis. in his autem sex libris Gaii nostri institutiones et libri singulares quattuor, primus de illa vetere re uxoria, secundus de tutelis et tertius nec non quartus de testamentis et legatis connumerabantur: quos nec totos per consequentias accipiebant, sed multas partes eorum quasi supervacuas praeteribant. et primi anni hoc opus legentibus tradebatur non secundum edicti perpetui ordinationem, sed passim et quasi per saturam collectum et utile cum inutilibus mixtum, maxima parte inutilibus deputata. in secundo autem anno praepostera ordinatione habita prima pars legum eis tradebatur, quibusdam

certis titulis ab ea exceptis: cum erat enorme post institutiones aliquod legere, quam quod in legibus et primum positum est et istam nuncupationem meruerit. post eorum vero lectionem (neque illam continuam, sed particularem et ex magna parte inutilem constitutam) tituli alii eis tradebantur tam ex illa parte legum, quae de iudiciis nuncupatur (et ipsis non continuam, sed raram utilium recitationem praebentibus, quasi cetero toto volumine inutili constituto) quam ex illa quae de rebus appellatur, septem libris (semotis et in his multis partibus legentibus inviis, utpote non idoneis neque aptissimis ad eruditionem constitutis). in tertio autem anno quod ex utroque volumine, id est de rebus vel de iudiciis, in secundo anno non erat traditum, accipiebant secundum vicissitudinem utriusque voluminis: et ad sublimissimum Papinianum eiusque responsa iter eis aperiebatur: et ex praedicta responsorum consummatione, quae decimo et nono libro concludebatur, octo tantummodo libros accipiebant, nec eorum totum corpus eis tradebatur, sed pauca ex multis et brevissima ex amplissimis, ut adhuc sitientes ab eis recederent. his igitur solis a professoribus traditis Pauliana responsa per semet ipsos recitabant, neque haec in solidum, sed per imperfectum et iam quodammodo male consuetum inconsequentiae cursum. et is erat in quartum annum omnis antiquae prudentiae finis: quis ea quae recitabant enumerare malet, computatione habita inveniet ex tam immensa legum multitudine vix versuum sexaginta milia eos suae notionis perlegere, omnibus aliis deviis et incognitis constitutis et tunc tantummodo ex aliqua minima parte recitandis, quotiens vel iudiciorum usus hoc fieri coegerit vel ipsi magistri legum aliquid ex his perlegere festinabatis, ut sit vobis aliquid amplius discipulorum peritia. et haec quidem fuerant antiquae eruditionis monumenta, secundum quod et vestro testimonio confirmatur.

Nos vero tantam penuriam legum invenientes et hoc miserrimum iudicantes legitimos thesauros volentibus aperimus, quibus per vestram prudentiam quodammodo erogatis ditissimi legum oratores efficiantur discipuli. et primo quidem anno nostras hauriant institutiones ex omni paene veterum institutionum corpore elimatas et ab omnibus turbidis fontibus in unum liquidum stagnum conrivatas tam per Tribonianum virum magnificentum magistrum et ex quaestore sacri palatii nostri et ex consule quam duos e vobis, id est Theophilum et Dorotheum facundissimos antecessores. in reliquam vero anni partem secundum optimam consequentiam primam legum partem eis tradi sancimus, quae Graeco vocabulo ΒΔ^{TMIV} nuncupatur, qua nihil est anterius, quia quod primum est aliud ante se habere non potest. et haec eis exordium et finem eruditionis primi anni esse decernimus. cuius auditores non volumus vetere tam frivolo quam ridiculo cognomine dupondios appellari, sed Iustinianos novos nuncupari, et hoc in omne futurum aevum optinere censemus, ut hi, qui rudes adhuc legitimae scientiae adspirent et scita prioris anni accipere maluerint, nostrum nomen mereant, quia ilico tradendum eis est primum volumen, quod nobis emanavit auctoribus. antea enim dignum antiqua confusione legum cognomen habebant: cum autem leges iam clare et dilucide prostent animis eorum facile tradendae, visum est necesse eos et cognomine mutato fulgere.

In secundo autem anno, per quem ex edicto eis nomen antea positum et a nobis probatur, vel de iudiciis libros septem vel de rebus octo accipere eos sancimus, secundum quod temporis vicissitudo indulserit, quam intactam observari praecipimus. sed eosdem libros de iudiciis vel de rebus totos et per suam consequentiam accipiant, nullo penitus ex his derelicto: quia omnia nova pulchritudine sunt decorata, nullo inutili, nullo desueto in his penitus inveniando. alterutri autem eorundem volumini, id est de iudiciis vel de rebus, adiungi in secundi anni audientiam volumus quattuor libros singulares, quos ex omni compositione quattuordecim librorum excerpimus: ex collectione quidem tripartiti voluminis, quod pro dotibus composuimus, uno libro excerpto. ex duobus autem de tutelis et curationibus uno: et ex gemino volumine de testamentis uno: et ex septem libris de legatis et fideicommissis et quae circa ea sunt simili modo uno tantum libro. hos igitur quattuor libros, qui in primordiis singularum memoratarum compositionum positi sunt, tantummodo a vobis eis tradi sancimus, ceteris decem oportuno tempori conservandis: quia neque possibile est neque anni secundi tempus sufficit ad istorum quattuordecim librorum magistra voce eis tradendorum recitationem.

Tertii insuper anni doctrina talem ordinem sortiatur, ut, sive libros de iudiciis sive de rebus secundum vices legere eis sors tulerit, concurrat eis tripertita legum singularium dispositio: et in primis liber singularis ad hypothecariam formulam, quem oportuno loco in quo de hypothecis loquimur posuimus, ut, cum aemula sit pigneraticii actionibus, quae in libris de rebus positae sunt, non abhorreat eorum vicinitatem, cum circa easdem res ambabus paene idem studium est. et post eundem librum singularem alius liber similiter eis aperiatur, quem edictum aedilium et de redhibitoria actione et de evictionibus nec non duplae stipulatione composuimus: cum enim, quae pro emptionibus et venditionibus legibus cauta sunt, in libris de rebus praefulgent, hae autem omnes quas diximus definitiones in ultima parte prioris edicti fuerant positae, necessario eas in anteriorem locum transtulimus, ne a venditionibus, quarum quasi ministrae sunt, vicinitate ulterius devagentur. et hos tres libros cum acutissimi Papiniani lectione tradendos posuimus, quorum volumina in tertio anno studiosi recitabant, non ex omni eorum corpore, sed sparsim pauca, ex multis et in hac parte accipientes: vobis autem ipse pulcherrimus Papinianus non solum ex responsis, quae in decem et novem libros composita fuerant, sed etiam ex libris septem et triginta quaestionum et gemino volumine definitionum nec non de adulteris et paene omni eius expositione in omni nostrorum digestorum ordinatione praefulgens propriis partibus praeclarus sui recitationem praebebit. ne autem tertii anni auditores, quos Papinianistas vocant, nomen et festivitatem eius amittere videantur, ipse iterum in tertium annum per bellissimam machinationem introductus est: librum enim hypothecariae ex primordiis plenum eiusdem maximi Papiniani fecimus lectione, ut et nomen ex eo habeant et Papinianistae vocentur et eius reminiscentes et laetificentur et festum diem, quem, cum primum leges eius accipiebant, celebrare solebant, peragant, et maneat viri sublimissimi praefectorii Papiniani et per hoc in aeternum memoria hocque termine tertii anni doctrina concludatur.

Sed quia solitum est anni quarti studiosos Graeco et consueto quodam vocabulo $\delta\beta\iota\forall\text{H}$ appellari, habeant quidem, si maluerint, hoc cognomen: pro responsis autem prudentissimi Pauli, quae antea, ex libris viginti tribus vix in decem et octo recitabant, per iam expositam confusionem eos legentes, decem libros singulares, qui ex quattuordecim quos antea enumeravimus supersunt, studeant lectitare: multo maioris et amplioris prudentiae ex eis thesaurum consecuturi, quam quem ex Paulianis habebant responsis. et ita omnis ordo librorum singularium a nobis compositus et in decem et septem libros partitus eorum animis inponetur (quem in duabus digestorum partibus posuimus, id est quarta et quinta, secundum septem partium distributionem) et quod iam primis verbis orationis nostrae posuimus, verum inveniatur, ut ex triginta sex librorum recitatione fiant iuvenes perfecti et ad omne opus legitimum instructi et nostro tempore non indigni: duabus aliis partibus, id est sexta et septima nostrorum digestorum, quae in quattuordecim libros compositae sunt, eis depositis, ut possint postea eos et legere et in iudiciis ostendere. quibus si bene sese imbuerint et in quinti anni, quo prolytae nuncupantur, metas constitutionum codicem tam legere quam subtiliter intellegere studeant, nihil eis legitimae scientiae deerit, sed omnem ab initio usque ad finem suis animis anplectantur, et (quod paene in alia nulla evenit arte, cum etsi vilissimae sint, omnes tamen infinitae sunt) haec sola scientia habeat finem mirabilem, in praesenti tempore a nobis sortita.

Discipuli igitur omnibus eis legitimis arcanis reseratis nihil habeant absconditum, sed omnibus perlectis, quae nobis per Triboniani viri excelsi ministerium ceterorumque composita sunt, et oratores maximi et iustitiae satellites inveniantur et iudiciorum optimi tam athletae quam gubernatores in omni loco aevoque felices.

Haec autem tria volumina a nobis composita tradi eis tam in regiis urbibus quam in Berytiensium pulcherrima civitate, quam et legum nutricem bene quis appellet, tantummodo volumus, quod iam et a retro principibus constitutum est, et non in aliis locis quae a maioribus tale non meruerint privilegium: quia audivimus etiam in Alexandrina splendidissima civitate et in Caesariensium et in aliis quosdam imperitos homines devagare et doctrinam discipulis adulterinam tradere: quos sub hac interminatione ab hoc conamine repellimus, ut, si ausi fuerint in posterum hoc perpetrare et extra urbes regias et Berytiensium metropolim hoc facere, denarum

librarum auri poena plectantur et reiciantur ab ea civitate, in qua non leges docent, sed in leges committunt.

Illud autem, quod iam cum ab initio hoc opus mandantes in nostra oratione <cf. *constitutio 'deo auctore' §8*> et post completum in alia nostri numinis constitutione <cf. *constitutio 'Tanta circa' §22*> scripsimus, et nunc utiliter ponimus, ut nemo audeat eorum qui libros conscribunt sigla in his ponere et per compendium ipsi legum interpretationi vel compositioni maximum adferre discrimen: scituris omnibus librariis, qui hoc in posterum commiserint, quod post criminalem poenam etiam aestimationem libri in duplum domino eius, si nescienti dederint, inferre compellentur: cum et ipse, qui talem librum comparaverit, pro nihilo cum habebit, nemine iudice ex tali libro fieri recitationem concedente, sed pro non scripto eum haberi disponente.

Illud vero satis necessarium constitutum cum summa interminatione edicimus, ut nemo audeat neque in hac splendidissima civitate neque in Berytiensium pulcherrimo oppido ex his, qui legitima peragunt studia, indignos et pessimos, immo magis serviles et quorum effectus iniuria est ludos exercere et alia crimina vel in ipsos professores vel in socios suos et maxime in eos, qui rudes ad recitationem legum perveniunt, perpetrare. quis enim ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur? hoc etenim fieri nullo patimur modo, sed optimo ordini in nostris temporibus et hanc partem tradimus et toto postero transmittimus saeculo, cum oportet prius animas et postea linguas fieri eruditos.

Et haec omnia in hac quidem florentissima civitate vir excelsus praefectus huius almae urbis tam observare quam vindicare, prout delicti tam iuvenum quam scriptorum qualitas exegerit, curae habebit: in Berytiensium autem civitate tam vir clarissimus praeses Poenicae maritimae quam beatissimus eiusdem civitatis episcopus et legum professores.

Incipite igitur legum doctrinam eis dei gubernatione tradere et viam aperire quam nos invenimus, quatenus fiant optimi iustitiae et rei publicae ministri et vos maximum decus in omne saeculum sequatur: quia vestris temporibus talis legum inventa est permutatio, qualem et apud Homerum patrem omnis virtutis Glaucus et Diomedes inter se faciunt dissimilia permutantes: $\iota\Delta\beta\Phi, \forall \Pi\forall 86, \therefore T <, \heartsuit 6\forall I : \exists \cong 4\forall f <<, \forall \exists \cong \therefore T <$ quae omnia optinere sancimus in omne aevum, ab omnibus tam professoribus quam legum auditoribus et librariis et ipsis et iudicibus observanda.

Data septimo decimo kalendas Ianuarias Constantinopoli domino nostro Iustiniano perpetuo Augusto ter consule. <16.Dec.533>

533 Iustinianus

Watson v.1 pp.lv-lxiv

Mommsen-Krueger 1908, pp.13-24.

Quinquaginta libri digestorum seu pandectarum.

De confirmatione digestorum.

In nomine domini dei nostri Ihesu Christi,

Imperator Caesar Flavius Iustinianus Alamannicus Gothicus Francicus Germanicus Anticus Alanicus Vandalicus Africanus pius felix inclutus victor ac triumphator semper Augustus ad senatum et omnes populos.

Tanta circa [...]

Data septimo decimo kalendas Ianuarias Iustiniano domino nostro ter consule. <16.Dec.533>
repeated as Codex Iustinianus. I.17.2

534 Iustinianus

Blume <internet>, Scott v.12 <internet>

Krueger 1954, p.4.

Codex Iustinianus.

De emendatione Codicis Iustiniani et secunda eius editione.

In nomine domini nostri Ihesu Christi Imperator Caesar Flavius Iustinianus Alamannicus Gothicus Francicus Germanicus Anticus Alanicus VVandalicus Africanus pius felix inclitus victor ac triumphator semper Augustus senatui urbis Constantinopolitanae S.

Cordi nobis est, patres conscripti, semper nostri animi curas rebus omnibus avidissime impendere, ut nihil a nobis coeptum imperfectum relinquatur. igitur in primordio nostri imperii sacratissimas constitutiones, quae in diversa volumina fuerant dispersae et quam plurima similitudine nec non diversitate vacillabant, in unum corpus colligere omnique vitio purgare proposuimus. et hoc iam per viros excelsos et facundissimos perfectum est et a nobis postea confirmatum: quod geminae constitutiones nostrae quae ante positae sunt ostendunt.

Postea vero, cum vetus ius considerandum recepimus, tam quinquaginta decisiones fecimus quam alias ad commodum propositi operis pertinentes plurimas constitutiones promulgavimus, quibus maximus antiquarum rerum articulus emendatus et coartatus est omneque ius antiquum supervacua prolixitate liberum atque enucleatum in nostris institutionibus et digestis reddidimus. Sed cum novellae nostrae tam decisiones quam constitutiones, quae post nostri codicis confectionem latae sunt, extra corpus eiusdem codicis divagabantur et nostram providentiam nostrumque consilium exigere videbantur, quippe cum earum quaedam ex emersis postea factis aliquam meliore consilio permutationem vel emendationem desiderabant, necessarium nobis visum est per Tribonianum virum excelsum magistrum ex quaestore et ex consule, legitimi operis nostri ministrum, nec non virum magnificum quaestorium et Beryti legum doctorem Dorotheum, Menam insuper et Constantinum et Iohannem viros eloquentissimos togatos fori amplissimae sedis easdem constitutiones nostras decerpere et in singula discretas capitula ad perfectarum constitutionum soliditatem competentibus supponere titulis et prioribus constitutionibus eas adgregare.

Supra dictis itaque magnificis et prudentissimis viris permisimus haec omnia facere et, si qua emendatione opus fieret, hanc facere non titubante animo, sed nostra auctoritate fretos, constitutiones vero superfluas vel ex posterioribus sanctionibus nostris iam vacuatas, vel si quae similes vel contrariae invenirentur, circumducere et a prioris codicis congregatione separare et tam imperfectas replere quam nocte obscuritatis obductas nova eliminationis luce retegere, ut undique non solum institutionum et digestorum via dilucida et aperta pateret, sed etiam constitutionum nostri codicis plenum iubar omnibus clareat, nulla penitus nec simili nec diversa nec inusitata relicta, cum nemini venit in dubium, quod repetita praelectio probavit, hoc satis validum satisque esse formosum. in antiquis etenim libris non solum primas editiones, sed etiam secundas, quas repetitae praelectionis veteres nominabant, subsecutas esse invenimus, quod ex libris Ulpiani viri prudentissimi ad Sabinum scriptis promptum erat quaerentibus reperire.

His igitur omnibus ex nostra confectis sententia, cum memoratus Iustinianus codex a praedictis gloriosissimis et facundissimis viris purgatus et candidus factus omnibus ex nostra iussione et circumductis et additis et repletis nec non transformatis nobis oblatus est, iussimus in secundo eum ex integro conscribi non ex priore compositione, sed ex repetita praelectione, et eum nostri numinis auctoritate nitentem in omnibus iudiciis solum, quantum ad divales constitutiones pertinet, frequentari ex die quarto kalendarum Ianuariarum quarti nostri felicissimi consulatus et Paulini viri clarissimi, nulla alia extra corpus eiusdem codicis constitutione legenda, nisi postea varia rerum natura aliquid novum creaverit, quod nostra sanctione indigeat. hoc etenim nemini dubium est, quod, si quid in posterum melius inveniatur et ad constitutionem necessario sit redigendum, hoc a nobis et constituatur et in aliam congregationem referatur, quae novellarum nomine constitutionum significetur.

Repetita itaque iussione nemini in posterum concedimus vel ex decisionibus nostris vel ex aliis constitutionibus, quas antea fecimus, vel ex prima Iustiniani codicis editione aliquid recitare: sed quod in praesenti purgato et renovato codice nostro scriptum inveniatur, hoc tantummodo in omnibus rebus et iudiciis et obtineat et recitetur. cuius scripturam ad similitudinem nostrarum institutionum et digestorum sine ulla signorum dubietate conscribi iussimus, ut omne, quod a nobis compositum est, hoc et in scriptura et in ipsa sanctione purum atque dilucidum clareat, licet ex hac causa in ampliorem numerum summa huius codicis redacta est.

Ut igitur, sanctissimi atque florentissimi patres, nostri labores vobis manifesti fiant et per omne tempus obtineant, hanc praesentem legem ad frequentissimum ordinem vestrum duximus destinandam.

D. XVI k. Dec. Constantinopoli dn. Iustiniano pp. A. IIII et Paulino vc. cons. <16.Nov.534>

536 Iustinianus

Günther 1895, pp.342-347 (Collectio Avellana, no.91); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.845-846; Migne 1844f, v.66 cols.35-36.

In nomine domini nostri Iesu Christi dei imperator Caesar Flavius Iustinianus Alamannicus Gothicus Francicus Germanicus Anticus Alanicus Vandalicus Africanus pius felix inclitus victor ac triumphator semper Augustus Agapito sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo almae urbis Romae et patriarchae.

Ante tempus in hac regia urbe nostra quorundam de causa fidei extitit morbosa contentio, quam nos congrue respuentes interposito edicto repressimus. Et quia studii nostri est emergentes huiusmodi causas ad apostolicae sedis vestrae referre iudicium, eiusdem fidei, quam sequendam duximus, tenorem epistolae nostrae insertum ad beatae memoriae decessorem vestrum Iohannem per Hypatium et Demetrium venerabiles episcopos missa legatione direximus; quam pro integritate fidei memoratus decessor vester libenti gratulatione suscipiens suo ac totius ecclesiae Romanae firmavit adsensu. Cuius epistolae nostrae tenor huiusmodi est:

<followed by a copy of Cod.Iust.1.1.8, 6.Iun.533>

Quam ob rem petimus sanctitatem vestram, ut memoratam epistolam vestra auctoritate firmetis et Cyrum vel similes eius a communione habeatis alienos, donec statutis sanctitatis vestrae obtemperent.

Exemplar subscriptionis: Divinitas te servet per multos annos, sancte ac religiosissime pater.

Dat. pridie Id. Martiarum Constantinopoli post consulatum Belisari v. c. <14.Mar.536>

536 Iustinianus

Günther 1895, pp.338-340 (Collectio Avellana, no.89); Mansi 1758f, v.8 (492-536) cols.857-858 (dated: decimo octavo calendas Aprilis [...]); Migne 1844f, v.66 cols.42-43 (dated: decimo octavo calendas Aprilis [...]).

Exemplar libelli piissimi domini nostri Iustiniani imperatoris quem dedit Agapito papae Constantinopoli de fide.

In nomine domini dei nostri Iesu Christi imperator Caesar Flavius Iustinianus Alamannicus Gothicus Francicus Germanicus Anticus Alanicus Vandalicus Africanus pius felix inclitus victor ac triumphator semper Augustus Agapito sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo almae urbis Romae et patriarchae.

Prima salus est rectae fidei regulam custodire et a patrum traditione nullatenus deviare, quia non potest domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes et patrum sequentes in omnibus constituta, id est trecentorum decem et octo sanctorum patrum, qui in Nicaea sunt congregati et sanctum mathema sine symbolum fidei exposuerunt, et centum quinquaginta sanctorum patrum, qui in Constantinopolitana civitate convenerunt et id ipsum sanctum mathema dilucidaverunt atque manifestaverunt, et sanctorum patrum, qui in Epheso prima synodo congregati sunt, et sanctorum patrum, qui in <Cal>chedone convenerunt, et quae in unaquaque earum de fide continentur sequentes dogmata, per quae omnia aufertur haeresis impugnans sanctam et apostolicam ecclesiam, et probantes per omnia atque amplectentes epistolas beatae memoriae Leonis omnes, quas de fide Christiana conscripsit, et confitentes unum eundemque Christum dominum filium unigenitum in duabus naturis id est in divinitate et humanitate inconfuse incommutabiliter inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem magisque salva proprietate utriusque naturae, et

in unam personam atque subsistentiam concurrentem et non in duas personas partitum atque divisum sed unum eundemque filium unigenitum deum verbum dominum Iesum Christum, sicut ante prophetae de eo et ipse nos Iesus Christus erudit et sanctorum patrum nobis symbolum tradidit: omnem haeticum anathematizamus, qui praeter haec, quae dicta sunt, sapuerunt atque sapiunt, praecipue Nestorium haeticum Constantinopolitanae civitatis quondam episcopum damnatum in synodo Ephesia a beatae memoriae Caelestino papa urbis Romae et <a> sancto Cyrillo Alexandrinae civitatis antistite; et cum eo anathematizamus Eutychem et Dioscorum Alexandrinae quondam civitatis episcopum damnatum in sancta synodo Calchedonensi, quam amplectentes sequimur, his coniungentes Timotheum parricidam Helurum cognominatum eiusque discipulum et sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum similiter condemnantes. Aversamur autem et <A>cacium quondam Constantinopolitanae urbis episcopum cohaeticum et sequacem horum factum nec non <et perseverantes in eorum communione> et participatione. Quorum enim quis communionem amplectitur, eorum et similem sententiam in condemnatione consequitur. Simili modo et Petrum Antiochenum condemnamus cum sequacibus suis et omnibus supra scriptis. Quapropter, sicut praefati sumus, sequentes in omnibus sedem apostolicam, quae ab ea statuta sunt, praedicamus et profitemur ista inconcusse servari et compellere, ut iuxta tenorem libelli istius omnes faciant episcopi, ut sanctissimi quidem patriariae ad vestram faciant sanctitatem, metropolitani vero patriarchis et alii ut suis faciant metropolitanis, quatenus per omnia sancta catholica nostra ecclesia suam habeat firmitatem. Et alia manu: Divinitas te servet per multos annos, sancte ac religiosissime pater. Dat. XVII. Kalendarum Aprilium Constantinopoli p. c. Belisari v.c. <16.Mar.536>

550 Iustinianus

Mansi 1758f, v.9 (536-590) col.275; Migne 1844f, v.69, cols.119-120.

Price v.1 pp.342-343

Cosmae sanctissimo episcopo Mopsuestiae.

Significamus tuae sanctitati, quod iussimus Ioanni beatissimo metropolitano Anazarbenae <Iustinianopolitanae> civitatis colligere omnes provinciae episcopos, et pervenire in vestram civitatem, et subtilem inquisitionem facere convenientibus, omnibus apud vos constitutis senioribus hominibus, sive clericis, sive laicis, et discere ab illis, si cognoscunt ex quo ablatum est nomen Theodori a sanctis diptychis: si vero non meminerint de tempore, et quando hoc ipsum factum est, et hoc ipsum confiteantur, quod non cognoscunt nomen Theodori in sanctis diptychis insertum vel praedicatum ipsum in ecclesia. Oportet igitur proferri et ipsa sacra diptycha, ut omnes cognoscant religiosissimi episcopi, quo ordine nomina episcoporum in diptychis recitantur, et hoc ipsum manifestum vos facere per suggestionem vestram: et confessiones gestis intervenientibus recipientes, et vestris coniugentes suggestionibus, subscribite omnes collecti episcopi, et sic dirigite unam quidem ad nos, alteram vero ad sanctissimum papam. Et hoc vero fiat manifestum in confessionibus eorum, ut unusquisque dicat et manifestet quot est annorum. Legi.

Datum undecimo calendas Iunias Constantinopoli, imperii domini nostri Iustiniani perpetuo Augusti anno vigesimo quarto, post consulatum Basilii viri clarissimi anno nono. <22.May.550>

550 Iustinianus

Mansi 1758f, v.9 (536-590) cols.274-275; Migne 1844f, v.69, col.119.

Price v.1 p.342

Exemplum sacrae epistolae Iustiniani scriptae ad beatissimum Ioannem metropolitanum episcopum.

Significamus tuae sanctitati colligere omnes religiosissimos episcopos, qui de tua synodo sunt, et pervenire in Mopsuestenam civitatem et requisitionem subtilem facere convenientibus universis ibi constitutis senioribus hominibus, sive clericis, sive laicis, et discere ab ipsis, si cognoscunt tempus ex quo ablatum est nomen Theodori a sacris diptychis. Si vero non meminerint ex quo hoc factum est, confiteantur hoc ipsum, quod non cognoscunt insertum aut praedicatum in sanctis

diptychis nomen Theodori, et proferantur vobis et ipsa diptycha, ut cognoscatis quis pro illo insertus est: et tales confessiones gestis recipientes, et vestris suggestionibus coniungentes subscribat et tua sanctitas in ipsis et caeteri religiosissimi episcopi: et sic dirigite unam quidem ad nos, alteram vero ad sanctissimum papam. Et hoc tamen manifestum fiat, et unusquisque eorum qui confitentur, dicant et manifestent quot est annorum: et vos vero in propriis confessionibus significate de praedicto capitulo, et quem pro Theodoro insertum invenistis. Scripsimus autem et Marthanio viro magnifico pro hoc, ut sine ulla dilatione ista agerentur et nobis mitterentur. Legi.

Datum decimo calendas Iunias Constantinopoli, imperii domini nostri Iustiniani perpetuo Augusti anno vigesimo quarto, post consulatum Basilii viri clarissimi anno nono. <23.May.550>

553 Iustinianus

Mansi 1758f, v.9 (536-590) cols.178-184.

Price v.1 pp.189-198

In nomine domini dei nostri Iesu Christi Imperator Caesar Flavius Iustinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, Victor, ac Triumphator, semper Augustus, beatissimis episcopis et patriarchis Eutychio Constantinopolitano, Apollinario Alexandrino, Domnino Theopolitano, Stephano, Georgio et Damiano religiosissimis episcopis vicem agentibus Eustochii viri beatissimi archiepiscopi Hierosolymitani et patriarchae, et reliquis religiosissimis episcopis ex diversis provinciis in hac regia urbe degentibus.

Semper studium fuit orthodoxis et piis imperatoribus patribus nostris, pro tempore exortas haereses per congregationem religiosissimorum episcoporum amputare, et recta fide sincere praedicata, in pace sanctam dei ecclesiam custodire. Quapropter et Constantinus pia recordationis Ario blasphemante et dicente, non esse filium consubstantialem deo patri, sed creaturam, et ex non extantibus factum esse, congregavit Nicaeae ex diversis dioecibus trecentos decem et octo sanctos patres: et cum ipse etiam concilio interfuisset, et adiuvisset eos qui consubstantialem filium patri confessi sunt, condemnata Ariana impietate, studium habuit rectam fidem obtinere. Exposito itaque sancto symbolo, vel mathematico fidei, per hoc sancti patres confessi sunt consubstantialem esse filium deo patri, quod usque tunc apud plurimos dubitabatur.

Sed et Theodosius senior pia recordationis, Macedonio negante deitatem sancti spiritus, et Apollinario vel Magno eius discipulo in dispensatione incarnati dei verbi blasphemantibus et dicentibus, sensum humanum non recepisse Verbum, sed carni unitum esse animam irrationabilem habenti. congregatis in regia urbe centum quinquaginta sanctis patribus, cum et ipse particeps fuisset concilii, damnatis praedictis haeticis una cum impiis eorum dogmatibus, fecit rectam praedicare fidem. Secuti enim iidem sancti patres expositam rectam fidem a trecentis decem et octo sanctis patribus, explanaverunt de deitate sancti spiritus, et perfecte de dispensatione incarnati dei verbi docuerunt.

Iterum Nestorio impio alium dicente deum verbum, et alium Christum, et hunc quidem natura filium dei patris, illum autem gratia filium impie introducente, et sanctam gloriosam semper virginem dei genitricem esse negante, cum pene omnes orientales partes suas impietate adimpleret idem Nestorius, Theodosius iunior pia recordationis congregavit priorem Ephesinam sanctam synodum, cui praesidebant Caelestinus et Cyrillus sancti patres, et directis iudicibus, qui deberent concilio interesse, compulit et ipsum Nestorium ibi pervenire, et iudicium propter eum procedere; et tali examinatione facta, secuti iidem sancti patres per omnia ea quae de fide definita sunt ab anterioribus sanctis patribus, condemnaverunt Nestorium una cum eius impietate. His ita subsecutis, cura insurrexissent contra Cyrillum sequaces Nestorii impii, festinaverunt (quantum in ipsis fuit) refutare condemnationem contra Nestorium factam: sed praedictus pia recordationis Theodosius, vindicans ea quae ita recte contra Nestorium et eius impietatem fuerant iudicata, fecit firmiter obtinere contra eum factam condemnationem. Et post haec iterum cum Eutyches demens emersisset, negando consubstantialem nobis esse carnem

domini, multis interea motis, tam Constantinopoli, quam Ephesi, tanta pro illo facta est haereticorum circumventio, ut etiam eiiceretur propter eum Flavianus religiosae memoriae regiae urbis episcopus.

Piae autem recordationis Marcianus congregavit Chalcedone sanctos patres, et magna contentione inter episcopos facta, non solum per suos iudices, sed etiam per seipsum in concilium pervenit, et ad concordiam omnes perduxit. Qui sancti patres in omnibus secuti ea quae pro fide definita sunt a praedictis tribus sanctis conciliis, et quae iudicata sunt de haereticorum damnatione et impietate eorum, damnaverunt et anathematizaverunt Eutychem dementem, et impia eius dogmata, nec non et Nestorium cum impiis eius dogmatibus, quoniam tunc festinaverunt quidam defendere Nestorium et impia eius dogmata. Super haec autem iidem in Chalcedone sancti patres anathematizaverunt eos qui aliud symbolum tradiderunt, aut tradunt, praeter hoc quod expositum est a trecentis decem et octo sanctis patribus et explanatum a centum quinquaginta sanctis patribus.

His itaque omnibus per diversa tempora subsequitis, praedicti piae recordationis nostri patres ea quae in unoquoque concilio iudicata sunt, legibus suis corroboraverunt et confirmaverunt, et haereticos qui definitionibus praedictorum sanctorum quatuor conciliorum resistere, et ecclesias conturbare conati sunt, expulerunt.

Defuncto autem, Marciano divae recordationis, cum contentio esset per diversa loca de Chalcedonensi sancto concilio, Leo piae recordationis ad omnes ubicumque sacerdotes scripsit, ut unusquisque eorum propriam sententiam manifestaret de eodem sancto concilio, et cum alius alium episcopum non expectasset, ad hoc quod interrogati sunt responderunt. Exiguo autem tempore transacto, iterum insurrexerunt Nestorii et Eutyichis sequaces, et tantas turbas in sanctis Dei ecclesiis fecerunt, ut divisiones et schismata in eis fierent, et nullam communionem ad se invicem ecclesiae haberent. Nec enim praesumebat aliquis de civitate ad civitatem veniens communicare, nec clericus ex alia civitate in aliam civitatem veniens in ecclesiam procedere.

Cum autem secundum suam misericordiam dominus deus reipublicae gubernationem nobis credidit, initium et fundamentum nostri imperii fecimus, coniungere divisos sacerdotes sanctarum dei ecclesiarum ab oriente usque occidentem, et omnem contentionem amputantes quae contra Chalcedonensem sanctam synodum ab Eutyichis et Nestorii impiorum sequacibus movebatur, fecimus praedicare eandem sanctam synodum cum praedictis aliis sanctis tribus conciliis in dei ecclesiis, certe scientes, quod ea, quae ab ea de fide exposita sunt, consonant per omnia aliis tribus sanctis conciliis: et multis quidem ad eandem sanctam synodum contradicentibus satisfecimus; alios autem qui perseveraverunt eidem sancto concilio contradicentes expulimus sic in sanctis dei ecclesiis et venerabilibus monasteriis, ut concordia et pace sanctarum ecclesiarum et earum sacerdotum firmiter custodita, una et eadem fides, quam sanctae quatuor synodi confessae sunt, sanctis dei ecclesiis praedicetur.

His ita pro firmitate sanctarum quatuor synodorum deo propitio per nos factis et obtinentibus in sancta dei ecclesia, Nestorii sequaces propriam impietatem applicare volentes sanctae dei ecclesiae, et non ponentes hoc per Nestorium facere, festinaverunt eam introducere per Theodorum Mopsuestenum doctorem Nestorii, qui multa peiora Nestorio blasphemavit, et super alias innumerabiles suas blasphemias contra Christum deum, nostrum factas, alium dixit deum Verbum, alium Christum, nec non et per impia conscripta Theodoretum, quae contra rectam fidem et Ephesinam primam sanctam synodum, et contra sanctae memoriae Cyrillum et duodecim eius capitula exposuit, et insuper sceleratam epistolam, quam dicitur Ibas ad Marinum Persam scripsisse, quae plena est omni impietate Theodorii et Nestorii. Per hanc etenim impiam epistolam non solum impietatem, sed etiam ipsas personas Theodorii et Nestorii, quas maxime laudat et iudicat; eadem impia epistola, festinaverunt condemnationem liberare, dicentes eam susceptam esse a sancta Chalcedonensi synodo. Hoc autem dicunt non pro defensione sanctae synodi, sed nomine eius, sicut putant, suam impietatem confirmare festinantes. Certum autem est, quod impia intentio est ista vindicantium, ut si eis evenerit, non praedicetur deus Verbum homo sanctus esse,

nec sancta gloriosa virgo Maria dei genitrix praedicetur. Haec enim Theodorus et Nestorius in suis conscriptis impie exposuerunt, et qui epistolam scripsit, in ea blasphemat.

Nos igitur sequentes sanctos patres, et volentes rectam fidem sine quadam macula in dei ecclesiis praedicari, et impiorum conatum resecare, primum quidem et in vestris vos degentes ecclesiis interrogavimus de praedictis impiis tribus capitulis, et vestram nobis voluntatem manifestam fecistis, pro qua et comprobavimus vos, quod indubitanter et cum omni alacritate rectam fidem confessi estis, et impiam condemnastis. Quoniam vero et post condemnationem a vobis factam, in eisdem ipsis permanent quidam, eadem impia tria capitula vindicantes, ideo vocavimus vos ad regiam urbem, hortantes communiter convenientes, quam habetis pro his voluntatem, iterum manifestare.

Vigilio enim religiosissimo papae antiquioris Romae cum pervenisset ad hanc regiam civitatem, de tribus capitulis subtiliter omnia manifestavimus, et interrogavimus eum quid sapit de hoc: et ipse non semel, nec bis, sed etiam saepius in scriptis anathematizavit impia tria capitula.

[...]

Quod vero eiusdem voluntatis semper fuit de condemnatione trium capitulorum, et per plurima alia declaravit, et per condemnationem Rustici et Sebastiani aliquando diaconorum antiquioris Romae: qui cum primum suscepissent factum ab eo iudicatum, in quo anathematizavit eadem impia capitula, postea susceperunt et defenderunt eorum impietatem. Sed etiam Valentiniano episcopo Scythiae, et Aureliano Arelati, quae est prima sanctissimarum Galliae ecclesiarum, scripsit et manifestavit de condemnatione istorum capitulorum. et praecepit eis nihil suscipete quod a condemnatis diaconis scribitur contrarium praedicto Iudicato: et compendiose dicere, semper in eadem voluntate perseveravit. Et haec omnia per suum tempus vobis manifesta faciemus.

Quoniam vero postea, cum pervenissetis, sicut dictum est ad hanc regiam civitatem, scripta facta sunt adinvicem a vestra sanctitate, et a Vigilio religiosissimo Papa antiquioris Romae, ut omnes vos uniti conveniatis, et propter illos qui sive ex ignorantia, sive scientia, impietatem capitulorum defendunt, congruum iudicium eis quae a sanctis quatuor synodis pro fide definita sunt, proferatis; mandavimus illi etiam per nostros iudices, et per quosdam ex vobis, ut una cum omnibus conveniret, et communiter disceptaret de praedictis capitulis: ut forma daretur rectae fidei conveniens: et quod et ipsum et vestram sanctitatem in scriptis interrogavimus de hoc, ut aut tamquam impia capitula ab omnibus condemnarentur, aut si putat recta esse, aperte suam manifestaret voluntatem. Alienum enim est Christianorum, cum recta fide impia suscipere, et non a malis recta discernere. Ille vero nobis mandavit, quod de praedictis tribus capitulis per semetipsum faciens, porriget nobis. Adhortamur igitur etiam vos de his disceptare.

Scire etenim vos volumus, quod nos ea quae a sanctis quatuor conciliis, Nicaeno, Constantinopolitano, Ephesino primo, et Chalcedonensi, de una eademque fide exposita et definita sunt, et de ecclesiastico statu regulariter disposita servamus, et defendimus, et ea sequimur et omnia quae consonant istis suscipimus et amplectimur. Quidquid autem non consonat istis vel a quacumque persona scriptum inveniatur contra ea quae de una eademque fide a sanctis quatuor conciliis vel uno ex his definita sunt, hoc tamquam alienum omnino pietatis execramur: sequimur autem in omnibus sanctos patres et doctores sanctae dei ecclesiae, id est, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium theologum, et Gregorium Nisenum, Ambrosium, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Augustinum, Proculum, Leonem, et omnia quae ab his de fide recta et ad condemnationem haereticorum conscripta et exposita sunt suscipimus. In praedictis igitur omnibus permanentes, illos patres et sacerdotes suscipimus, qui ea quae a sanctis quatuor conciliis de fide exposita sunt, et a praedictis sanctis patribus praedicata sunt, servant, et praedicant in sancta dei ecclesia.

Quando vero haeretici per omnia Theodorum et Nestorium et eorum impietatem vindicare volentes, sicut praedictum est, et susceptam esse dicunt a sancta Chalcedonensi concilio impiam epistolam quae ad Marim Persam ab Iba scripta esse dicitur; hortamur vos considerare ea quae a Theodoro impie tam in aliis scripta sunt, quam in Iudaico symbolo, quod et Ephesi et Chalcedone

prolatum, anathematizatum est ab utraque synodo cum his qui ita sapuerunt, vel sapiunt: considerare autem et quae de ipso et eius blasphemiiis sancti patres conscripserunt, et antecessores nostri promulgaverunt, nec non et quae ecclesiasticarum historiarum scriptores de eo exposuerunt. Ex his etenim omnibus cognoscetis, quod ab illo tempore condemnatus est tam ipse quam blasphemiae eius a sanctis patribus, et quod propter istas superioribus temporibus deletum est et nomen eius a sacris diptychis ecclesiae, cuius fuit episcopus.

Hortamur autem etiam illud disceptare, quod vane profertur ab eis qui dicunt non oportere post mortem haereticos anathematizari; et sequi in hoc doctrinam sanctorum patrum, qui non solum viventes haereticos condemnaverunt, sed et post mortem, utpote in sua impietate mortuos, anathematizaverunt, sicut eos qui iniuste condemnati sunt, revocaverunt post mortem, et in sacris diptychis scripserunt: quod factum est et in Ioanne, et in Flaviano religiosae memoriae episcopis Constantinopolitanis. Sic enim, vestra reverentia, quod positum est a domino in evangelio de ipso: Quod qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit in eum, iam iudicatus est, quod non credit in nomine unigeniti Filii Dei. <Ioann.3:18> Manifestum autem est, quod non tantum de vivis, sed etiam de his dictum est qui in sua impietate mortui sunt.

Insuper autem hortamur vos inspicere et quae impie scripta sunt a Theodoro contra rectam fidem et Ephesinam primam sanctam synodum, et contra sanctae memoriae Cyrillum, et contra duodecim eius capitula, et quae impie idem Theodoretus conscripsit pro Theodoro et Nestorio et blasphemiiis eorum contra sanctae memoriae Cyrillum. Examinare autem et de impia epistola, quae dicitur ab Iba ab Marim Persam scripta esse: in qua scriptor eius abnegat, deum Verbum hominem factum esse: et sanctam gloriosam semper virginem Mariam dei genitricem esse. Condemnat autem eadem impia epistola et Ephesinam primam sanctam synodum, tamquam sine iudicio et quaestione Nestorio condemnato: et sanctae quidem memoriae Cyrillum ecclesiae doctorem, haereticum vocat et impia dicit duodecim eius capitula; Theodorum autem et Nestorium et eorum impietatem defendit et laudat. Et quoniam, sicut dictum est, praesumunt quidam dicere, et epistolam quae praedictam impietatem continet susceptam esse a Chalcedonensi sancto concilio, hortamur vos conferre ea quae dicta sunt ab eodem sancto concilio in definitione pro fide exposita, cum his quae in impia epistola continentur, ut undique recta quidem confirmentur, impia autem condemnentur.

Omnia igitur praedicta cum omni subtilitate disceptantes, sicut sacerdotes decet, in mente habentes Dei timorem et futurum iudicium, et nihil pietati et rectae fidei et veritati et dei gloriae et honori praeponentes, in mente autem habentes et apostolicam pronuntiationem, quae contra eos qui contraria rectae fidei tradunt, prolata est, manifeste dicentem, quod licet nos vel angelus de coelo evangelizaverit vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus, et modo iterum dico: si quis vobis evangelizaverit praeter quam accepistis, anathema sit. <Ad Galat. 1:8-9> Scientes autem et Petri apostoli praeceptum dicentis: Parati semper estote ad satisfactionem omni petenti vos rationem de spe quae in vobis est; <I Petr.3:15> celeriter de his quae interrogavimus, vestram manifestate voluntatem. Cum enim qui de recta fide interrogatur, diu protrahit; nihil aliud est nisi abnegatio rectae confessionis. In interrogationibus enim et responsis quae de fide sunt, non est primus vel secundus, sed qui in recta confessione paratior invenitur; acceptabilis apud deum est.

Divinitas vos servet per multos annos, sancti ac religiosissimi patres.

Datum IV. Nonas Maias, Constantinopoli, imperii domini Iustiniani perpetui Augusti anno XXVII. post consulatum Basilii viri clarissimi anno XII. <4.May.553>

553 Iustinianus

Mansi 1758f, v.9 (536-590) cols.366-367.

Price v.2 pp.99-101

In nomine domini dei nostri Iesu Christi Imperator Caesar Flavius Iustinianus, Alamannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, Victor, ac Triumphator, semper Augustus, beatissimis episcopis et patriarchis, Eutychio Constantinopolitano, Apollinario Alexandrino, Domnino Theopolitano, Stephano, Georgio et

Damiano religiosissimis episcopis vicem agentibus Eustochii viri beatissimi archiepiscopi Hierosolymitani et patriarchae, et ceteris religiosissimis episcopis ex diversis provinciis in hac regia urbe degentibus.

Una Christianis salus est puro corde et bona conscientia et fide non ficta accedere ad communionem sanctorum sacramentorum. Ex hac etenim unusquisque remissionem sperat peccatorum, participationem mysteriorum dignatus a sacerdotibus recte deum colentibus. Haec ideo diximus, quoniam quidam Nestorii impietatem colentes, applicare eam dei ecclesiae conantur per Theodorum Mopsuestenum et impia eius conscripta; nec non per ea quae impie conscripsit Theodoretus, et contra rectam fidem et Ephesinam primam synodum, et contra sanctum Cyrillum et duodecim eius capitula; et pro defensione Nestorii et Theodori impiorum; et super haec et per impiam epistolam quam Ibas ad Marim Persam scripsisse dicitur: quae super alias insertas ei blasphemias, eos qui confitentur deum Verbum hominem factum esse haereticos vocat, et Ephesinam primam synodum reprobat, tamquam sine examinatione et quaestione ab ea Nestorio condemnato: et sanctae memoriae Cyrillum haereticum vocat, et impia duodecim eius capitula dicit: Theodorum autem et Nestorium haereticos vindicat et laudat. Et iam quidem de hoc ex multo tempore quibusdam motis, et vestra religiositas, et alii plures sacerdotes istorum capitulorum impietatem alienam rectae fidei esse vindicatis.

Quando vero religiosissimus papa antiquioris Romae ad istam magnam civitatem pervenit, omnia ista manifestata sunt. Et cum haec examinasset, et condemnavit, et satisfactionem in scriptis exposuit, tam nobis quam pia recordantis tunc coniungi nostrae. Nec enim patiebamur, nec ab eo, nec ab alio quocumque, involatam communionem suscipere, qui non istam impietatem condemnat. Sed et sacramenta terribilia in scriptis iuravit, ut in eadem permaneret voluntate, in condemnatione et anathemate praedictorum trium capitulorum; et nullo modo vel tempore conaretur aliquid ad refutationem condemnationis praedictorum impiorum trium capitulorum. Quod autem sine scriptis saepius condemnavit impia tria capitula, coram gloriosissimis iudicibus et religiosissimis episcopis, et plures ex vobis qui convenistis cognoscunt; et haec agens permansit septem annos. Postea vero et scripta inter vos et illum processerunt; in quibus invicem confessi estis convenire, et synodice praedictorum capitulorum facere condemnationem. Et postea invitatus tam a nobis, quam a vestra religiosa synodo communiter quidem convenire, recusavit. Contrarie autem factus est suae voluntatis, ea defendens, quae Nestorii et Theodori sequaces sapiunt. Praeterea ipse semetipsum alienum catholicae ecclesiae fecit, defendens praedictorum capitulorum impietatem, separans autem semetipsum a vestra communione.

His igitur ab eo factis alienum Christianis iudicavimus nomen ipsius sacris diptychis recitari, ne eo modo inveniamur Nestorii et Theodori impietati communicantes. Unde prius quidem sine scriptis hoc manifestum vobis fecimus: nunc vero et in scriptis certum vobis facimus per nostros prae<?fectos> eius nomen sacris diptychis non inferatur. Unitatem vero ad apostolicam sedem et nos servamus, et certum est quod et vos custodietis. Nec enim Vigilii, nec cuiuscumque alterius ad peiora transmutati et paci ecclesiarum nocere potest.

Divinitas vos salvet per multos annos, sancti ac religiosissimi patres.

Data pridie Id. Iul. Chalcedona, imperante Domno Iustiniano perpetuo Augusto, anno vigesimo septimo post consulatum Basilii viri clarissimi anno duodecimo. <14.Iul.553>